
EXERCITATIO XXVIII.

RELIGIOSISSIMO,

PIISSIMOQVE VIRO; GEnerosissimoq; Domino meo, Domino Petro à Castro, & Quiñones, Hispalitano Archiepiscopo.



AVCTORE DOCTORE IOANNE DE LVNA VEGA Marcenensi, olim academiæ Hispalensis rei Medicæ primario professore, præclarissimæque suæ dominationis à cubiculo Medico.

Hispali excudebat Ioannes Leonius. Anno 1611.

RELIGIOSISSIMO, PIISSImoq; viro, Generosissimoq; Domino suo, Domino Petro de Castro, ac Quiñones, diuina miseratione Archiepiscopo Hispalitano, &c. Doctor Ioannes de Luna Vega suus à cubiculo Medicus bonam valetudinem, æternamq; fœlicitatem impertitur.

PLVRIMVM, FAVSTO TVO ad nos aduentu, diu, multumq; summis præcibus à cœlo sic ex postulato (Christianorum excelsum columen) tota Hispalensis Sancta Ecclesia, vniuersaq; Diocesis exultauit, adeòq; vt breui tempore, & papyro referri non possit. Primum primogeneum clerũ gaudet fama est enim, quod post Diui illius Isidori, Doctoris maximi prædecessoris tui tempora, nunquam sic gubernandum, nec tanti antea factum, nec postea colendum fore, omnis deinde religio congratulatur, ciuitasq; in vniuersum, vox populi, vox dei sic suscipit, admiraturq,. Nulla tandem est hominum memoria, quæ tale tantum, tãq; generale gaudiũ obseruauerit. Vndè, & præsagire licet, in dies magis, ac magis futurum, quum præcipue illum dominũ, iudicemq; exposcerent, qui simpl & faceret, & præciperet. Verum enim vero, quamvis religiosi viri sit, suis laudibus grauari, in domino obsecro, patiatur clarissima dominatio. Vt verissima pauca, maximaq; quædã attingam, vnicam virtutem, iustitiãq; nudam te adamare, cætera omnia spernere. Nec vero silentio inuoluam, te cunctos officiũ tuum implorãtes libentissime

 susci-

ſuſcipere, atque admodum attentè audire, nulli non ſubuenis, ſolaris, omnibusq; eſt omnis, ò quam multorum iuditio zelus domus Dei in te ſemper ſplēdet: meo tamen infirmo, in vtenſilibus (ſi per dignitatem liceret) cum humillimo Diuo Franciſco contenderes, ſicq; cum magno Dominico multum paupertatem voluntariam diligis, cum matris Eccleſiæ Sāctæ Doctoribus indefeſſe legis, & laboras, vigilantem neſcio quē tecum conferam, deniq;, ne in laudum tuarum tanto Occeano obruar, Deum optimum maximum omnipotentemq; cum vniuerſa ciuitate populoq; exoro, vt huic ouili per in numeros annos albo lapillo numerandos, ſis paſtor ſuperſtes, pater amantiſsimus, domeſticorum ſolatium, pauperum auxilium, vnicumque ſtudioſis refugium, totiusq; orbis chriſticolis exemplum, Hiſpanorum ſol refulgens, atque eccleſiaſticorum principium ſpeculum ſplendidiſsimum.

(✻)

AD CANDIDOS LECTORES MEDICOS.

DVPLEX (vt plurimum) est conditio illorum virorũ, qui momis obscuris detractoribusq; caninis contẽptis, suis lucubrationibus generi humano prodesse exoptant. Quidam enim (quãvis omnes à præceptoribus librisq; initium sumant) in eorundem vestigijs insistẽtes, exponunt dictiones dubias, arctas ampliare student, ijsq;, quæ vetustiores invenerũt, nec absoluere potuerunt, aliquid addere conantur, sed vtcumq; res cedat, laudandi horum conatus si in magnis voluisse sat est. Præsertim ob id, quod tales arrogantiam non subolent. Alios videas, qui statim in magistros recalcitrẽt libros oderint, qui an inuidiæ.l.ambitionis causa suis parẽtibus maledixerint, nescimus, scimus tamẽ, Auerroum acutissimum Aristotelis cõmẽtatorem, medicum paruum, medicorum maiorum aculeũ, mordicando nullam vtilitatem ægrotãtibus attulisse, atq; miseris medicis affeelis incommodum non spernẽdũ (dum ille, & illi oleum, & operam male per diderint) & irrecuperabilia dãmna feeisse. Alexãder Trallianus etiam Galeno ingratus, à quo cum recedere vult, statim titubat, errat, atq; a methodus repperitur, quid cum tot verbis, serium supra patres medicos, vtileue attulit? Quid noui, firmiq; Argenterius? quem fructum lectori? forsitam quem Martinus ille execrabilis Lutherus, piæ, Christianæq; religioni. Nisi magis placeat Doctor Ludouicus Collado, qui in sua Isagoge existimat, Argenteriũ suis illis tricis nos in Galeni-

doctrina attentiores reddidisse. Huius tumidi genii auctores, vel se ab incunnabulis magnos indicant, seu scientiam habere infusam credunt, quos deceret cogitare, Deum optimum maximumq; summa, prouidissimaq; sapientia, gigantes in scientijs quosdam creasse, nō verò casu sic cecidisse insignissimos, clarissimosq; heroas veluti Hippocratem, & Galenum in arte Appollinea, qui è mēbranis, chartisq; seruata, obseruataq; remedia & præcepta in artem ab orbis primordijs redegere. Hos venerari oportet, hos ducēs sequi in laureolis iubemur, horum licere expositionē aggredi ex Pontificia, Regiaq; facultate gradus sonant. Primæ classis, paruitatem nostram agnoscētes à primis annis fuimus, sic largiēte diuina misericordia, maiorem rei, studiiq; medici partem in colendo Galeno insumpsimus. Ex eo prædicimus, agnoscimus, ac curamus quē iam diu interpretamur, quiq; nunquā excidit ab ore, miserorum illorum vicem dolentes, non attenduntiū patris sapientiam Iesum Christū sæpe numerò in Euāgelio Prophetarum, Dauidisq; testimonia, locaq; alia sacri veteris testamēti citasse similiterq; sanctissimū, Doctissimūq; Paulum, Diuumq; Thomā patrum, atq; vtriusq; testamenti doctrina suas partes ditasse, iuris pontificij, regiiq; auctores suos, Philosophus, Methaphisicus, logicusq; Aristotelem citāt, miseris nonullis huius temporis medicis auctores citare, dedecus putatur, quam ob causam, ipsi sciunt. Deniq; cū Hippocrates, & Galenus expurgationes non aliter quā cocta turgenteq; materia fieri docuerint, non defuerunt tamen quidam medici, qui quibusdam exceptionibus, prædictos viros prodiderunt, & mille millia hominum intempestiuis expurgationibus perdiderunt, hoc dolore cōmoti (hodie enim est assidua Hispali hæc praxis)

xis) in palestram descendimus, hocq; est nostrum assumptum, auctorum fundamenta subvertere, rationes invalidare, furtaq; detegere, suoq; pristino nitori veterem, veramq; expurgationis occasionem restituere, auctoritatibus firmissimis, præceptis, concludentibus q; rationibus confirmare. Quibus sic editis, adolescẽtiores instruentur, seniores quiddam nullam excusationem habebunt, faxit tamen Iesus, vt & animum, & probationes, non auctorem inspiciãt, vt sic melius has corrigant; & si non rem, desiderium (quo ducimur vt melius proximis inseruiamus) respiciant. Deniq; hoc vnum perpendant, quod alias sensibus ipsis repugnat, invenosi generis affectibus, venisq; repletis, nisi venæ sectione adhibita, exonerataq; natura patẽtioribusq; vijs redditis, ingressus medicinis expurgantibus, humoribusq; educendis regressus pateat, purgãtia pharmaca nihil, quod in cõmodum vtilitatem ve ægrotantis cedat allatura. Sed contra noxas inemendabiles, quo in remedio, haud quaquam Hippocrati obsequnrur consulenti, *Ad id studendum morbis vt pro sint, saltim non noceant.*

QVAE, præsertim in hac vigesima octaua exercitatione suis assertionibus distincta continentur latius, hic in epilogo.

I N FEBRIVM putridarum principiis, crudaque materia, nullam esse vrgentiam, vel vergentiam, quæ medicum artis medicæ, methodiq; peritum adpurgandum alliciant, multoq; minus locum affectum, modo ne reuulsionis gratia. Non maligna, vel pestilẽs febris (nisi materia turgeat) purgationem initio vnquam indicarunt; quæ, quoad prouisoriam medellam atti-

attinent, aliarum putridarum regulis gaudent. Quidquid optime de re medica meritus,& ætate sua antesignanus Manardus Ferrariesis insudauerit. In cujus verba Florentissimi Hispani professores(præceptores liceat dicere nostros) Doctor Mena Complutensis,& Salmanticensis Brauo Iurarunt.

DEO fauente (ne molesti simus eadem bis repetendo) ad hujus exercitationis calcem, aliorum obiectionibus, præcipueq; Manardi pro nostra virili satisfiet, impræsentiarum enim libet à veritatis corroboratione, seu probatione, initium sumere, sic prima stabilita assertione.

Assertio.1 HIPPOCRATES *cocta, non cruda: neq; in principijs (nisi turgerent) medicabatur. Id ipsum rationales, naturalesq; medici præstare tenentur. Qui in acutorum initiis (cũ maxima vrgentia) venas scindere præcipiunt, multis exposcentibus aliis scopis venæ sectionem, quos veri discipuli Galeni aßecuntur. Nam Menodoti empirici sequaces syndromen plethoricam quaritant.*

QVOD QVE satis decantata vrgentia à multis auctoribus procul semper fuerit à mente Hippocratis qui omnes primus scopos inuenit (quibus attẽdendum est) docuit.1. bonus senex illo oraculo, scribens. A *Concocta medicari, atque monere, non cruda, neque principijs, nisi turgeant.* Sed vt in plurimum, in principiis febrium humoralium, sine turgentia, cruda est materia, *Plurima enim non turgent.* Igitur in illis, in principioq;, non licet expurgatione vti, cum quanta volueritis vrgentia.

A 1.apo. 22

B 24

Rursusq;, tãtæ molis erat istud præceptũ. B *In acutis passio-*

paßionibus raro in principiis, medicinis purgantibus vti, & hoc cum præmeditatione faciendum: In enarratione Pergamenus annotat. *In acutis verò cum turgent etiam possumus ab initio vti medicamentis purgantibus, & hoc ipsum cum multa cautione, & præmeditatione facere, siue enim per hoc verbum, diligentum intelligat examinationem siue ægroti præparamentũ, siue recti juditii expectationem, siue horum aliquid, siue omnia vnius vocabuli significatione comprehendantur, quantum hujuscemodi vereatur purgationes manifestat.* En amici, Galenũ solos turgentes excipientem.

3. Vltimoq; , presſius adhuc Hippocrates. C *Quicũque à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgatoria dare, non oportet, donec remiserit febris, sin minus, saltem, non intra quatuordecim dies.* C Lib. de expurganti. medicam. c. 14.

Sed aduersus, suis vrgentiis, expurgantes, ratione sic in surgendum.

1. Quicumq; in febrium putridarũ initiis, humores versus focum putredinis, partesq; male affectas conuocant, ii exitialiter expurgant, sed purgantes ob vrgentiam, sic segerunt, igitur ipsi exitialiter purgant, maior ab Hippocrate emanauit docente, oppositũ esse faciendum sic. D *Reuellendum, quã longißimè, atentata fluxione parte, quod superfluit, redundatq; nequaquam ad ipsam trabendum*, quam sic illustrat Galenus. E *Non enim ratio solum, verum etiam vsus ipse indicat, aliam alii parti euacuationem congruere, si quidem ex iis, quibus occuli tẽtari phlegmone cœperant, nonullos sola purgatione per alium, vno die sanatos vidisti, quam rem si quis facere in jecinore, cum phlegmone laborare incipit, tentet, maximam excitabit phlegmonem.* Minor fere est euidens, doceturq; à Galeno dicẽte. Et F *quidem purgatio hæc praua fiet, cum calor ambientis acris in partẽ trahat extrinsecam, contrariam ei ad quam medicina ducit humores.* Quod vero non modo in intermittentibus (vt

D Lib. de humoribus.
E Lib. 13. met. c. 11.
F 4. apho. co. 5.

unper typis dedimus) sed & in continuis circa ventrē,
G foci seu minera putredinis sint, passim, legimus apud
1.epid. 1. 9. Galenum sic fancientem. G *Neque enim in quibuslibet collectus corpore partibus humor hic febrem efficit ardentem, verū*
H *circa ventriculum magis, & huius præcipuè os, circaq; iecinoris*
1.2. 20. *partem simam*, inferiusq;. H *Etenim per febres ardentes in*
I *venis abundat præcipuè jecoris, & ventris*. Hactenus Gale-
1. prog. c. 12. nus, sicq; bonus senex statuebat. I *Hippochondria saluberrima sunt, si dolore vacunt, si mollia, & æqualia sunt dextra, ac sinistra parte, &c.* Et vtinam hæc Hippocratis cōsilia, præceptaq; tempore iam exoleta, & curam circa Hippochondria ægrotantium attendenda, in actum practicum omnes reducamus, nam in iis fomites malorū (vt in plurimum) resident, igitur bene sequitur, purgatores in principiis febrium putridarum non tollere, sed augere ipsas, & in vitæ discrimen, ægrotantes conjicere.

2. Ex præcepto perpetuo, semperq; obseruando, videlicet, primo auferendam plenitudinem, vel mediocritatem, quantitatem ve, antea quam ad alia descendamus, nam alias, colliquatis humoribus, augentur affectus. Argumentum est in hunc modum, quando in alicujus affectus curatione, venæ sectione, & expurgatione est opus, à sanguinis missione est curatio inchoanda, sed in febrium putridarum euratione, cum maxima vrgentia, vtroq; auxilio est opus, igitur in curatione putridarum, necessariò à venæ sectione est inchoādum, maior dignitas est apud Hippocratem sic scribē
K
4. acut. 21. tem. K *Nam venæ sectio in iis præferenda venit, deinde clysmis est opus, si vehemens, & magnus fuerit morbus, si verò non, & postea medicamentis opus sit, sane id post sanguinis missionē, securè, & mediocriter porrigendum*. Hæc auctor ille. Quā obrem Galenus tum in expositione ait idem; apertius vniuer-

vniuerfalinsq fic explicat, L *Quod fi vtroq; auxilio homo indigeat, à venæ fectione incipiendum effe patet.* Minor etiam manifeftè conftat. M *Sa'uberrimum fi quidem eft, in febribus venam incidere, non in continentibus modo verum etiam in aliis omnibus, quas putrefcen humor concitat, leuata nãq; quæ corpus noftrum regit natura exoneretaq; ab ea, qua veluti farcina premebatur, haud ægrè quod reliquum eft, vincet itaq; proprii numeris haud ob'ita & concoquet. quod concoqui poteft, & excernet, quod poteft excerni.* Hactenus Galenus, igitur à venæ fectione non ab expurgatione eft initium faciẽdum, & quo tempore eft facienda venæ fectio? nũ in ftatu, & declinati ne?

L 6. epid. M

3. Poft innumeras controuerfias, fancitum iam eft. N *Humorum attractiones, fubftantiarum fieri fimilitudine, fimilitudinemq; vtrisq; effe fubftantiis, eius videlicet, quod purgat, & ejus quod purgatur.* Ex quo arg. fic, quando in attrahẽdis humoribus non repperitur talis fimilitudo, nec attractio, nec purgatio fœlix fiet, fed in morbi principio tempore videlicet eruditaris, implicat cõtrarietatem talis fimilitudo, igitur in morborum principiis, cum vrgentia in fœlix, in fauftaq; accidet expurgatio, maior ex principio phifico, medicoq; probatur Ariftotelis, fic docentis. O *Inter agens & patiens confenfum effe debere quendã.* Galeni verò fufcipiẽtis, dicentisq;. P *Nulla fiquidem caufarum fine patientis aptitudine agere poteft.* Minor eft fcholæ medicæ afferentis. Q *Per cruditatem, humores difpares, diffidentes ve in principiis, poftea procedente morbo, atque accedente coctione affimilari.* Sicque explicarur famofum illud. R *Cocta, Hippocratis,* Igitur non poteft fieri actio, attractio videlicet, ob ineptam materiam, neque difpofitam.

N 3. de fimp medi facul. c. 25. O Axioma. 2. phific. P 1. de deff. feb. Q Fallopius & omnes. R 2. aph. 22

4. Ex principio irrefragabili præparationis viarum, (quod deuorare voluit, ficut & alia multa. Manardus)

S 2.aph.24 adeò. *Vt adversus Galeni mentem in humoribus turgentibus, purgatione inquam in iis facienda,* S *Non vltra secundum diem medicum arripientem occasionem propinandi melicratum, laudet Galenus.* Sicq; arg. Ad hoc vt corpora purgentur, debent primò fluida fieri, sed in principiis morborũ nequeunt esse fluida, igitur in principiis morborum non possunt purgari, maior est maius præceptũ apud Hip-

T 2. aph.9. 9x. & cõ. pocratem dicentem. T *Corpora cum quispiam purgare voluerit, primò oportet fluida facere.* Et Galeno exponente. *Erit autem fluidum corpus, vt diximus, omnibus meatibus reserratis humoribus vero incisis abstersis, atq; ex tenuatis, si quis fuerit in corpore humor crassus, ac glutinosus.* Minor vero cõstat, tum quia in principio plena sunt corpora, sicque in non tempore non potuit fieri actio, præparatio videlicet, sine qua facile sequitur, non posse celebrari

V 1.aph.22 co. expurgationem, ad quam præter alia multa. V *Natura expellens, & viarum dispositio exigitur.* Quorum vtrumq; in initiis desideratur.

X Hippocrates lib. de vlceribus. 5. Interrogaremus re vera bonos senes, si viuerent, quem vsum X ex tribus asignatis purgationi ab Hippocrate, huic suæ vrgentiæ illi asignarẽt? Sin minus dicant asseclæ? Nam (ignoscant manes) in hoc auxilio instituendo claudicant, solo purgationis nomine in medium adducto. Ad rem, nõ possunt reuellere ex supra probatis, quia ad affectas partes nocentes humo-

Y 4.met.c.6 res reuocant nec deriuationis gratia. Y *Si quidem deriuationis præceptum, in morborum incrementis locum habere, satis, superq; ex Galeno.* Iam probauimus, ac proinde expurgatio illa manifestè saltim, cocta materia iubenda est, at illi pœnitus materiam crudam purgant, igitur nec reuulsionis, nec deriuationis gratia, super est, euacua-

Z Axioma. tionis gratia fateri, non enim sunt plures purgandi modi, ritè loquendo. Z *At cum isthæc euacuatio secundum*

artis regulas præstanda sit, declinante iam morbo. Aut in veram sententiam descenderent nobiscum pallinodiãq; recantarent.

Vel vt senes exercitatissimi ad suam se experientiam, tanquã ad sacram anchorã reciperent, de qua postea.

6. Si ob aliquam rationem esset dimittenda venæ sectio in principio, maximè ob multitudinem crudorũ (sic etenim innuunt, & cum crudis vrgentes humores permiscent confunduntq;) sed ob hanc rarionem non est dimittenda, igitur prorsus ab errant, maior est illorum fundamentum, minorem docuit Galenus, scribens. A *Quibus ambobus scopis præsentibus, constat, vt ante diximus, nullam esse crudorum succorum tantam, talemq; plenitudinem, quæ hoc inhibere auxilium possit.* Hæc Galenus, si igitur est virium robur ad expurgandum, erit procul dubio ad phlebotomiam, tempore priorem, ac proindo iurepotiorem.

A *Li. de sãg. miss. c. 13.*

7. Veniamus ad indicationes hæ etenim sunt methæ phisicæ medicorũ, sine quibus nihil arridet videamus q; ad Galeni mentẽ, quomodo species affectus remedii speciẽ exposcat, ait enim grauissimus vir. B *Quod genus indicat, id & quantitatem, & qualitatem indicare, necesse est. Nam sine differentia vnum quodq; indicans, rei postulata genus indicat, sed differentiam accipiens, ipso genere differens indicat.* Hactenus Galenus, docens. V g. à repletione, seu multitudine in genere indicari euacuationem in genere, vndè ab eadem repletione, addita differẽtia, sumẽda species euacuationis, sanguinis missio, vel ex purgatio, tunc sic, sed in febribus putridis, quantũvis vrgentibus, initio non indicatur expurgatio, sed sanguinis missio, igitur purgatores vrgentiæ toto cælo alberranr, maior est principium indemonstrabile, minor patet, quoniam in principio morbi est peccatum

B *Lib. de optima secta Thrasyb. c. 45.*

C *Definitio venæ sectionis.* omnium humorū æqualiter ex definitione tali. C *Sāguinis missio est euacuatio omnium humorum æqualiter, purgatio vero vnum eligit secudum naturam humoris peccantis.* Igitur in principio, atq; æquali omnium humorum peccato, specifica debetur venæ scissio in principio, & in incremento etiam nōnunquam, vbi & est abundantia, & nōdum humor insigniter mutatas, atq; hæc sint pro multis aliis, in eos, qui artis præceptorū expertes, omniaq; passim violantes sub prætextu vrgentiæ, in manticam posteriorē libros rejiciunt, ad vergentiæ fautores gradum faciamus.

D*E humorum vergentia, siue inclinatione ad aliquem partem non ita res habet, sicut vulgo medicorum putatur nam vergentes humores in principio potius venis sectis educuntur.*

Neque immerito, quum, quidquid præter naturam est, atq; venæ sectionem expostulans, sui ablationem secundum rectitudinem, seruata cōmunione vasorum indicat, quod si vera excussimus probantes. *Venæ sectionis præcipuam occasionem, morborum principiis inesse.* Atque ex omnium medicorum suffragio, facile etiā elicitur.

D *Exerc. 22 assert. 1.* D *Vergentiā in principiis, sæpe sæpius venæ sectionē exposcere.* Et ratio astipulatur, cum non præparatione vocata indigeat. Sicuti expurgatio, neq; ad phlebotomiā præstolanda est humorum coctio, verissima est assertio, nihilominus probanda, namq; in vergentia venæ sectio, aliis noua; nonullis duriuscula forsitā apparebit. Nō tamen est, re vera, seniorum monumenta euoluĕribus. Atq; vt moris est, ad fontem recurrere, apud Hippocratem in pleuritide, veluti in exemplo legistis, & si le-
E *2. acut. 10* gistis modo perpendite. E *Si vero ad clauiculam dolor pertigerit, aut molesta sit. l. brachio. l. mammæ l. partibus septo transuerso superioribus grauitas, internam cubiti venam secare expedit.*

expedit. Neque vt copiose sanguis detrabatur, est cunctandum. In quorum enarratione Galenus ab Hippocratis secretis, docet. *Pro eorum, qui inflammationem pariunt humorum vergētia inclinationeq; , vacuationes facit Hippocrates. Nempè quòd dicitur, quo natura vergit, eò ducere, id verißimū existit, contingit autem interdum id, ob differentiam partium eius, quæ costas succingit membranæ. Nempe superiores ipsius partes, cum inflammantur ad humerum, brachiumq; , & mammam condolentiam extendunt, cum igitur superiorum condolentia signum fecerit, venam in cubito secare eam, expedit, quæ sanguinem ab affecta parte, & magis, & velocius tum reuellere, tū vacuare poßit.* Hactenus sapientißimus commentator, qui in vtilissima enarratione est totus, in hac vnica veritate demōstranda, atq; venæ cauæ diuaricationem describit, vt hoc vnum concludat, atq; occulis exponat, quantum, quamq; præsentaneum præsidiū afferat phlebotamia effatu digna, elatere affecto celebrata in pleuciticis, & quibusvis magnis inflammationibus (*In* F *quibus videlicet iuxta sectam venam, vt idem animadvertit, phlegmone est ingens*) non sic ex opposito. Sicq; iterum pium, ingenuūq; medicū iterūq; monemus, vt pœnitius inspiciat, quam longè ab Hippocratis, Galeniq; mente experientia, rationeq; distet, quisquis ille fuerit Auicennas, in sola pleuritide distantißimas venas cōmendās, cum è conuerso artis medicæ parentes proximas diffecandas doceant, atq; humoris inclinationem seu vergentiam pro scopo eligant, deniq; videant, vtrum humorum vergentia sit in oppositum dolenti latus, brachium, clauiculam, &c. Sed annis præteritis nos veritatem scholæ græcæ, satis superq; G probasse, est certum, atq; impræsentiarium, in re adeo vtili; hæc meminisse oportuit, ex quibus palam fit, reuulsionem ad distantißima, in dantibus inducias morbis, atq; vnius

F *Lib. de sā gui. miss. c.14.*

G *Discur. 1. & 2.*

præcau-

De ver tio praecautionis causa jubendã, neq; alitet citra vitæ gra uediscrimen, ad institutum iterum. Hoc ipsum præ-
H ceptum in pleuritide, ad sententiam aphoristicã redu-
6.aph.22 xit, atq; vniuersale theorema facit, vbi inquit. *H Quæcumq; rupta* (pro rupta, dolores, legit in cõmentario Galenus) *ex dorso ad cubitum descenduut, venæ sectio soluit.* In cuius enarratione, ad mentem boni senis, sic idem explicat. *Quem excipere oportet* (videlicet humorem) *atq; euacuare per venæ in cubito existentis sectionem, quando hac apparet fluens, est enim præceptum, secundum quod humores repũt, facere euacuationes, idemq; significant verba hæc, eò ducendum est, quò repunt per loca opportuna.* Hactenus Galenus, in testem adducens eundem auctorem in libro de humoribus, circa principium.

Obseruator Hippocrates, nequaquam vnico crure
6. epid.2. 39. vtens, memoriæ mandauit. *I Reuellere, si quo nõ oportet, vergat, sin autem, quò oportet aperire, quemadmodum singula vergunt.* Sic isthæc enucleat Pergamenus. *Alias & didicisti, ducenda plane esse, quò vergunt per cõuenientes regiones, auertenda autem, atq; reuellenda, quæ non benè vergũt. aperire autem dixit, non vt in abcessibus dicere, consueuimus, pro eo quod*
Ex *est scalpro diuidere, sed in communiori significato accipitur, sub*
ssi *quo, & recludere cõtinetur, & venas nobis in mariscis & venas nasi, atq; vteri, cum par hæc itinera euacuamus.* Quid plura? idipsum sonant celeberrima, vtilissimaq; consilia se-
K quentia. *K Itaque, si tempore mittendi sanguinis, menses mo*
9.meth. 6.5. *ueri contigerit, aut etiam hæmorrhois aliqua sit reclusa, si inspectus fluentis impetus satis forte videbatur, qui solus, quod requiris vacuet, naturæ rem omnem permittes; sin minus, tantum ipse de-*
1. *trahis, quoad ex conjunctis ambobus perficiatur, quod postulas,* hæc cum Hippocrate Galenus.

Quumq; dies dum doceat, hic nobis vltrò sese obtulit quæstio, difficultasq;, quæ quõdã mentes medicorum

corum maioris famæ, diu, multũq; vexauit, qui inquirebant. Vbi nam multo posteriores Galeno medici, maiores in quã nobis auctores, venæ sectionem in carbũculis, & bubonibus pestiferis celebrem, ex partibus cõstituerint coniunctis, in quibusq; præceptis fundauerint, secundũ indicationẽ ex ipsius rei natura petitã? cuius etiam, in vigesima septima exercitatione meminimus. Quæstio sanè per difficilis fuit, aqua cum se se extricare conarentur ingeniosè profectò. *Phlebotomiam illam, reuulsionem ab interioribus ad exteriora esse, probare intendebant, atque typis ediderunt.* Quibus tunc restitimus, vt ibi videre L licet. Neq; enim vnquam talis reuulsio arridere potuit, sicq; quamvis exoptaremus, assentiri nõ potuimus, modoq; firmius (vt antea in prædicto loco cunctãter, & tentãdo dixeramus) *asserimus, posteriores innuisse venæ sectiones in pestilentibus carbunculis, bubonibusq;, ex partibus coniunctis in vergentia constituendas.* Atq; nimirum, Hippocratem, & Galenũ nostri maiores imitabantur, in iis, quæ venè vergere, animadvertebant, à quibus à manu in manum (vt dicitur) vsque ad nostra tẽpora, salutaris praxis peruenit, cum bona venia tamẽ Pauli ægineta (quem maximopere miramur) de bubone pestifero dicentis. M *At si corpus vniuersum succis æquabiliter redundet, prius ipsum vacuare conuenit.* Hæc ille (sed quandoq; bonus dormitat Homerus) quem aliquos magnos logiatros laudasse, audiuimus.

L Exerc. 16

M Li. 4. c. 21

Quæ si vera sunt, facilè concluditur, quod in febribus pestilẽtibus, si deficiat ad emunctoria, artusve vergentia, bubon inquam, aut carbũculus vergentes (qui sunt signa nos ducentia ad venas partis signatas) deficere etiam scopũ, indicationemve, aqua ducamur ad venas has, vel illas in artubus sitas, vnde ridiculũ placitum est illius auctoris, libri de peste, volẽtis, ducere

 naturã

naturā ademūctoria docereq;,quò sit itura,acuties maxima,alios docet docta natura,ducitq;, ipse vero contra naturā ducit,&currus trahit boues,hic tamen,atq; alii errores N ibi animaduersi sunt. *Sed satis reprehenditur,quod inutile esse,ostēditur;* iterū ad pensum,sitq; corolariū.*In pestiferis febribus cū eruptionibus, artem medicā, ob vergentiam,statuisse phlebotomiam ex coniunctis partibus,ipsius naturæ motus obseruando, imitandoq;.* Idq; iure optimo, si nāq;.vt supra scripsimus,in aliis morbis,in aliis inquā causis, inquibus ad benignum spes aliqua refulgebat,ars, quò vergit,ducēdum,venis incisis,iubet, in venefica materia,corruptaq;, quid nifaciat? Imò citius multo, & quantò citius,tantò potius ob acutiē,truculentiāq; humoris, qui nimirum, ob nihil aliud citò interficit, quam quod citissimè opem ferre,non possimus venæ sectione,ob prædictam velocitatem, citissimamque virium dissolutionem,facimus tamen, quantum possumus ducti a vergētia.*Vt videant amici, in principiis pestilentium febrium,quam bene imitentur medicinis expurgantibus naturæ vergentiam.* Sed de illorum,seu Manardi expurgatione postea,nonulla, & vt iam huic assertioni debitū finem appingamus,collegimus iam diu vsum venæ scissionis a conjunctis partibus,ex seniorum doctrina.Si quidem O Herophon moribundus cum exitiosis sympthomatibus illud insinuat, *Illi enim doluit bubon* (videlicet inguen, aut aden) *cui postea transierunt ad ambo crura dolores , atq; hæc sympthoma in causa fuerunt , quam ob rem nocte commodè haberet. Etenim minxit vrinam coloris melioris, quæ paucum haberet,& album sedimētum,mox die sequenti,qui nonus erat,cum sudore est iudicatus, tanti scilicet erat decessisse, que molesta erant ad partes inferiores.* Hæc Galenus , qui, hisce aduertit, vergentiam naturæ in hoc ægroto. Idē que vir, in parotidibus,quæ malignum quid redolent, sic

N Exerc.27

O 2. epid.3. 30.

ſic deliberabat. ℗ *Melius vtiq; fuerit, tunc naturã adjuuare per humorum ex loco in locum impetuoſum illapſum, febres curã tem.* Atq; hæc de vergentia ducente ad phlebotomiã, vt doctiores demant, addantq;. Ad alia accedere, tẽpeſtiuum iam eſt. ℗ 3.ſecund. loc.c.2.

TVNC *verò medico licet, humores vergentes in inteſtina, eò ducere. neq; aliter, cum morbus declinat; ſin minus, cum manifeſtæ coctionis ſignis.* 3. Aſſert.

HAEC etiam concluſio methodo, indicationibusq; eſt nimis conſentanea, quoniam expurgatio, neq; eſt auxiliũ principii, & multo apparatu indiget, aliqua liq; coctione, aqua non incipiunt morbi, quæ in ea neceſſario prælibanda exiguntur. Quod vero aſſertio, Hippocratis mentem explicet, videlicet, tunc vergentiam purgandam, cum cocti ſunt humores, conſtat ex aphoriſmis ℚ vigeſſimo, & vigeſsimo primo, ſectionis primæ, atque ex eorundem expoſitionibus, ſed vt hoc magis, ac magis pateat, non grauemur legere quatuor haſce ſententias. *Ex quibus coctos humores in materia vergente, neutiquam vero crudos purgabat Hippocrates*, nam cunctorum talium aphoriſmorũ cõcluſio, epilogusq;, eſt oraculũ illud, *Cocta medicari, atq; mouere, non cruda.* Et primum, obiter animadvertamus, expurgationes noſtras, arte inquam factas imitari, & redolere expurgationes à natura factas, & iuditiarias, eſt enim primum præparatio, & ſubſequens euacuatio. *Atq; ſicut bona iuditia poſt vigorem in declinatione contingunt.* Sic etiã, ſecũdũ artẽ, exactæ, atq; ſanæ purgationis à nobis fieri debẽt ſcribit igitur Hippocrates. *iis, qui per circuitus acceſſiones habent, nihil dare oportet, neque cogere; ſed ſubtrahere adiectioni ante iudicationis. Quæ iudicantur & iudica ſunt integrè* ℚ 19. 20. 21. 22.

Def ven tion *neq; mouere, neq; nouare, siue medicamētis, siue aliter irritādo, sed sinere. Quæ ducere oportet, quò natura vergit per loca conferentia eò ducere Concocta medicari, atq; mouere, non cruda, neque in principiis, nisi turgeant.* Vidistis amici? coctionē, vnicum esse scopum expurgationis, perperā vero Manardum (alioqui maximum doctorē) plures addidisse? Quem mordicus, aut clausis occlusis defenditis. Verū enim verò, si horum aphorismorum connexioni à me excogitatæ, fidem adhibere non placet, perpendere oportet, in cōmentario vigesimo secundo, quam necessaria sit naturæ adminiculatio ad expurgationis au

℞ 22. xilium difficile, periculosumq;, ait enim eo loci Galenus. ℞ *Eos vero, qui sunt in aliqua corporis parte firmati* (humores scilicet) *neque alio auxilio mouere oportet, neq; medicari abre coctionem, tunc enim naturam ipsam habemus euacuationi adminiculantem, videtur siquidem & ipsa, post coctiones humores discernere, & superfluitates expellere, quo in tempore fiunt iudicationes, sed cum perfectè ipsa mouetur, medicamento opus non est, si vero mediocrius, atq; imbecillius agat, id quod deficit, supplere oportet, vt ex vtroq; noxii humoris fiat euacuatio, natura quidem expellente, medicamento verò attrahente.* Hæc

Li. quos & quādo, & quib⁹ c. 10 Galenus, quæ eadem S Oribasius, siue quicumq; fuerit auctor libelli, cuius titulus, quos, quādò, & quibus medicamentis purgare oportet, qui ad litteram ipsam sententiam transtulit. *Itaq;, nephas existimamus, asserere vergentiam Hippocratis, & Galeni, in crudis deiectionibus seruari posse*, quæ doctissimi magistri somniare nō potuerūt,

T 1. ad glau c. 14. cum oppositū doceant. His accedit, quod T Galenus sermonē instituēs de febribus symptomaticis, ad alui pro fluuium symptomaticum, diarrhea vocatū accedens, nec imitandum docet, nec aliam euacuationem faciendam, sic sentit. *Sed neq; si fuerit febris cum alui pro fluuio, alia opus est euacuatione, quamvis hæc non sufficiat pro multitudi-*

multitudinis rationes. Locus est, si quis alius, celeberrimus, optimæ, vtilissimæq; doctrinæ, ad rem mirum in modum facit, quotidieq; hic casus occurrit in praxi, sicq; opere prætium erit, aliquantulũ immorari in perpendenda expositorum omnium concordia.

Trincauellius sanissimè profectò si alibi, ait in expositione. *V Primum, quod non sit imitanda, & adjuuanda hæc alui fluxio, neq; medicamentis, neque aliis vacuatoriis instru mentis, bujus vero ratio est, quia pro fluuia hæc, quæ in principiis morborum accidunt, nullo modo critica sunt, cum nondum coctus sit morbus, sed potius fiunt à natura coacta irritataq; à multa co pia, aut à praua qualitate humorum, vndè, nec per eos fluxus, eo tempore subleuatur natura, sed potius turbatur, & exagitatur, & vires redduntur imbecilliores, quare longè etiam magis vires dejicientur, & magis illa perturbabitur. Si vacuatio vacuationi addatur, neq; tamen leuior fiet, sed magis grauabitur resolutis spiritibus per insignem eam euacuationem, nondum parata natura, prætere a magis irritata à medicamento præceps in magnũ aliquod periculum agi potest, nempe, in immodicam aliquam fluxionem, quam vires nequeant perferre. Vndè & vulgatam illam sententiam Avicennas protulit, ventrem soluere, super ventris solutione, timorosum est. Cum autem sequatur coctionem morbi, ferè non potest, non esse criticus, & vtilis, tunc verò agendum erit, vt Hippocrates primo aphorismorum vigesimo, monuit, quæ iudicãtur & judicata sunt integrè, neq; mouere, neque medicamentis, sed sinere. Si ergo talis videatur excretio, quæ possit integrè febrem iudicare, sinendum est omne opus naturæ, sed si videtur non ea esse, quæ possit integrè febrem judicare, euacuationi illi erit addendũ; non tamen statim, sæpe enim inter initia euacuatio videtur modica, quæ tamen populo post copiosa euadet, cautè ergo agẽdum. At cum iam videatur natura ab euacuatione destitutura, nec quantum satis erat, euacuasse, medicus ipse clysteribus, aut medicamentis aliquibus accõmodatis, eam excitabit,*

V In lib. 1. ad Glauc. pag. 117. colu. 3.

pauli

 vt

vt vniuersam rem absoluat. Nam si quid relinquatur post iudicationem (vt idem Hippocrates testatus est, secundo aphorismorũ, duodecimo) recidiuam facere consueuit, & si aliqua sit molienda euacuatio, per inferiorum aluum, eam moliri oportet. Nam & hoc primo aphorismorum docuit Hippo. cum ait, quò ducere oportet, per loca conferentia eò ducere. Hæc doctissimus cõmẽtator, qui satis superq; erat.

At cum non de lana caprina, sed de re tanti põderis, atq; momenti agatur, atq; in nonullorum animis potius credentium, quam vigilantium opposita praxis in sedit altissimè, altiori cura, & calamo pugnandum est, sicq; legẽdus est Ioannes Baptista Montanus, qui, post

X 1. ad glauc. citato. pag. 999. multa alia, quæ in ipso videre licet per otiũ, ait. X *Si verò euacuatis per secessum, quia intestina debilia sunt, ratione cuius debilitatis recipiunt, debilitabuntur magis, quia trahetis materiam ad ipsa, & longe magis virtus debilitabitur, ideò oportet cauere, ne augeatur sympthoma, quia oportebit curare febrem, & sympthoma auctum, ideo neutra euacuationum tuta est.*

Y 1. ad glauc. c. 14. Martinus Acachia, scholæ Galenicæ maximus discipulus, expurgationem per horrescit, sic dicens. Y *Si ventris profluuium, id est Diarrhæa febricitantem occupet, alia euacuatione opus non est, quia id omnem corporis redundãtiam vacuare solet, itaque ipsum ex se sufficit, etiam si minus sit, quã pro multitudinis ratione, timendum enim est, ne si iam incitatũ ventrem medicamento moues, naturã ita prorrites, vt postea eius impetum cohibere vix, aut nullo modo possis, vndè, & syncope, & mors subsequutura sit.* Hæc ille, si igitur proceres in arte medica concordant, quis furor hos deserat? & miseros ægrotantes temere morti exponat?

Sed ne alicui animus sit, respirandi ad euacuationes sympthomaticas, in cõmuni de ipsis agendũ, denuoq; cõmonendi sunt amici, semper ab Hippocrate, & Galeno

leno damnatas, sicq; non adjuuādas nos docent. Hippocrates quidem scribens. Z *In medicationibus talia educere oportet, qualia & sponte prodeuntia vtile.* Vbi Galenus apertissimè malas, vt signa, & causas ostendit, sic. *Cum itaq; natura superfluum euacuat, iuuatur animal, cum verò alioqui ex cernitur casus ratione, neq; indè vtilitas vlla prouenit, & talis euacuatio prauæ dispositionis est signum.* Rursus, idē Hippocrates talem sententiam protulit. A *Morbis quibuslibet incipientibus, si atrabilis vel supra, vel infra exierit, læthale.* Quā rationabiliter Galenus probat, dicens. *Quādo aliquis incipit morbus, si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, sed sunt omnia hæc casus præternaturam, earum. quæ sunt in corpore dispositionum. Quo enim in tempore, à causis quidem morbum facientibus natura grauatur, adest autem cruditas humorum, tunc aliquid bene euacuari, est impoßibile, oportet si quidem coctionem præire, subsequi verò discretionem, & postea euacuationem,* & mox. *quandò igitur post morbi coctionem aliquis humor vitiosus excernitur, tunc corpus à natura expurgatur, & propter hoc atrabilis, & alius omnis huiuscemodi humor, vbi signa coctionis in morbi proceßu apparuerint, bonam significant euacuationem, si vero aliter excernantur sine signis coctionis, exitialis est casus, quare cum in morbi principio semper sint signa cruditatis, mala erit talium humorum euacuatio.*

Z 4.aph. 2.

A 4.aph. 2?

Nec his contentus Hippocrates in eodem libro, dejectiones crudas dānabat, prauasq;, dicens. B *Excretiones, in febribus non intermittentibus, liuidæ cruentæ, fœtidæ, omnes malæ:* super hæc commentator sic discurrit. *Malæ excretiones sunt signa prauarum dispositionum, & fiunt sæpius eodem modo, quo in vlceribus putridis, quibus liquores saniosi defluunt nihil dispositioni conferentes. Nonnunquam ita sicut pus ex dirupto abceßu expurgans partem patientem. Inditia vero, quod benè excernantur* (attendite) *maxima sunt coctio, & bona*

B 47.com.4 aphor.

bona tolerantia.

C Obseruator idem Hippocratos hæc scripta reliquit.

1. epid. 2. 37. *C Habebant hæc quæ violenta erant, vt statim opprimerēt, vel nulliessent vsui.* Vbi expositor, *qui procedunt morbi à coctionis difficultate, & copia crudorum humorum, nullum ab excretionibus consecuntur emolumentum.* Vndè, & auctor quarti acutorum. *D Corpus quieti permittere, vngere, & æqualiter contegere, iubebat. Sed medicamēta (ait) purgantia non admouebis, nempè si ventrē moueris, vrina non maturabitur, febrisq; citra tū sudorem, tū iudicationem in longus tēpus protrahetur.*

D 44.

Vt cōmentator docet, quia humores indigent quiete, non quia purgantia corpus mouēt solum, ex quibus non modo, non præsidium corpori (irritata materia, dum sic crabrones excandescunt) sed maxima incommoda, atq; irreparabilia ægrotantibus parantur, quæ nunc satis sint de vergentia in intestina (de qua forsitan aliqui meliora) atq; de sympthomaticis dejectionibus, quas procul dubio malas esse vt signa, & causas ex Galeno ipso ostendimus.

4. Assert. *QVAMVIS Hippocrates ad hippochondria vergente dolore, expurgatione vtendum iubeat, Galenus in expositione dubius, & in executione multo magis anceps deprehenditur, cuius iuditio standum, existimamus.*

HAEC doctrina in pleuritide descendenti signata, multis occasio errandi, atq; expurgandi in principiis, non solum medicinam facientibus, sed etiam auctoribus fuit, istam etiam vergentiam, ad alios quoscumq; affectus ampliantibus, at Galenus illam restringere videtur, qui nunquam temerè tantum ab est, vt sæpius Hippocratem deserat. Primumque boni senis sententiam, in medium adducamus, sic præcipientis.

Si vero

E Si vero eas, quæ sub septo transverso sunt partes dolor infestat, nullumq; ad clauiculam signum fecerit, ventrē. l. nigro veratro, vel peplio mollire oportet. Hanc sententiam Galenus, vt interpres exponit, at vero vt ipsius colonus optimus, & qui, ab Hippocrate inchoatam artem, absoluturus datus est, minimè dubitauit, veritatē, propriāq; sententiam in scribere, primumq; videtur Hippocratis ipsius aphorismum proponere atq; quadam tenus contradictionis arguere, scribens. *F Considerare igitur hac, atq; in memoriam tenere oportet, sed non perpetuò in pleuriticis vti debemus, ad memoriam reuocantes aphorismum illū, vbi dicit. G In acutis morbis rarò, & in principiis medicinis purgātibus vti, vbi igitur non solum morbus acutus fuerit, cujusmodi est pleuritis, verum & cum febre vehementissima, multo magis vitanda est purgantis medicamenti administratio, atq; per venæ sectionem euacuandum magis, etiam si ad hippochondria dolor finiatur.* En Galenū in descēdenti pleuritide vrgentiæ minime fauentem, quamuis enim exigat vehementissimam febrem, pro euitanda expurgatione, in pleuritide descendenti. Attamen, vel contradictionis arguendus est, vel fateri cogetur, expurgationem rejeciendā, quia idem met auctor est, febrem, non qualē cumq;, pleuritidem comitari exquisitam, per hæc verba. *H Atq; vehemēs quoq; febris* (sermo de ascendenti, & descendenti pleuritide erat) *huiusmodi inflammationem perpetuò sequitur, quia sedes affecta parum distat à corde, & cū panniculo ipsam involuente, sicuti etiam cum septo transverso cognationem habet.* Hactenus Galenus. Et vt ad venæ sectionem redeamus, omissis reliquis classicis (nunquam enim in animū induximus nostrū plures, sed meliores auctores amplecti) qui melius Galeni mentem est assecutus Paulus, sic etiā decidere videtur. *I Itaq; dolor, si ad iugulū vsq; peruenerit remediū est sanguinis dimissio;*

E 2. acut. 11

F 2. acut. com. 11.

G 1. aph. 24

H 5. de locis aff. c. 3.

I Li. 3. c. 33

sin autem ad præcordia descendit, purgatio, recentiores autem omnibus venam incidunt, veriti turbationem, quam purgatio solet accersire. Hæc Paulus qui duo auctores principes sunt,& cũ recentioribus, atq; quotidiana, assiduaq; experientia comprobante,nec Ioannes Paulus Merẽda initio pleuritidis pestilẽtis auderet expurgare, nisi
K Excrc.23 & 27. signa coctionis adessent, quemadmodum nuper K à nobis scriptum est,quoniam autem, in exercitatione viggesima tertia,conclusione prima (quibus in locis Galenus reuulsionis gratia,expurgatione sit vsus sermo est habitus) hic nõ plura, quam vergentia in pleuritidibus descẽdẽtibus exigebat, à nobis adducta sunt, ad propulsandam purgationem à principio febris pestilentis accedamus.

5. Assert. FEBRI *malignæ, vel pestilenti aliarum putridarum methodis,quoad euacuationes regulandæ,nisi cocta, vel turgente materia pestilenti, non est purgatio molienda, atque minusquam in reliquis humoralibus.*

MODO super est acies cõmunior opugnanda,medicorum sentientium, initio morborum malignorum,vel pestilentium purgationem adhibendam, aut sexto sin minus,neutiquam verò septimum absq; purgatione attingendum,cæterum experientiis, longoq; vsu ostendentibus prauã esse praxin, multi viri sic pii, vt docti,& in melius resipiunt,& pallinodiam recãtãt, idipsum de cætero, omnes viros vigilantes, attẽtosq; facturos credimus.Febris enim pestilens,putrida cum sit (de qua est sermo) methodis humoralis est curãda, obseruatis interim maxima acutie,citissimoq; virium
L Li.de pest.c.5. lapsu,quod vero sit putrida eleganter profecto,grauiterq suadere conatur Ioubertus sic. L *Fernelius venenatam qualitatem huius febris definit, cuius vis, & pernities est*

supra

supra vulgarem putredinis conditionem, aliquid scilicet occultum denotans. At cum nihil ipsa putredine deterius, & vitæ adversariu magis, tum animantium generi, tum plantarum, & omnium mixtorum naturæ. nihil hic est latentis conditionis supponendum, sed summa putredo, quæ huius mali essentiam apertè continet.

Hæc ille, quam eandem sententiam multis doctissimis viris arrisisse scimus, cui subscripsimus, multiq; testimoniis, & rationibus solam excecellentem putredinē cum Galeno probauimus, vbi M argumentis Fernelii pro virili satisfactum, nostrisq; plurimis opinio Fernelii impugnata est, vbi legi potest, atq; hæc erit causa, ob quam breuitas amplectenda, atq; adeam remittendus lector, cumq; putrida sit humoralis pestilens, fit vt quotquot argumēta, præceptaq; in vrgentiam facta sint, hæc eadem non expurgandum in principio pestilentium suadeāt. Quia videlicet, ob vrgentiam ipsam in pestilentibus Manardus, & sequaces initio illarū, expurgant. M Exerc. 12

Atq; præterquam quod vt prædicto loco probauimus, Auicenas summam curationis in pestilentibus constituit in refrigerãdo exsiccãdoq; remediis indicatis à putredine putridas constituente, et non modo curationem, sed præcautionem earundem in frigidis, siccisq; administrandis tota gentilitas constituit, videlicet boloarmena, terra lemnia, corrigentibusq; putredinem, theriaca, confectionibus, ignibus odoriferis, odoribusq;. Deinde aduertendum est aliud secundum documentum, N recentiorum doctissimorum, existimantium in pestilenti febre. *Scopum maximum constituendum in auocatione noxiorum humorum ad exteriora.* Quæ doctrinæ valent, & marmorea corda mouere, eoq; maximè, quia purgatione initio adhibita, nihil aliud fiat, quam humori sponte currenti ad viscera, calcaria fortiter adigere. N D. Frãcis. cus Vall. 3. epid. 3.

Argu. sic, in quibus febribus summa curationis est,

 humo-

humores motos ab interioribus,principibusq; ad exteriores, ignobilesq; auocare, in principio expurgatio (nisi materia turgeat) nã conuenit,sed in pestilẽtibus sic oportet ad exteriora humores attrahere, igitur in principio pestilentium non conuenit expurgatio, maior constat ex primo fundamẽto,atq; similiter minor, igitur in principio febrium pestilentiũ expurgatio nõ conuenit. Tunc sic,sed venæ sectio reuocat humores ad exteriora,igitur tunc temporis iubenda.con.est bona ex fundamento,ans est artis principium,igitur intẽtum omni ex parte sequitur.

2. Sic, in quibus febribus sunt inflammationes sanguineæ,procul dubio sanguinem de mere oportet,sed in febribus pestilentibus sunt inflammationes sanguineæ,igitur in illis detrahere oportet,atq; in principio, maior,tum ex definitione medicinæ cõstat asserente. *Esse O detractionem superantium*,tum ob ib,quod fluxioni omnium humorum æquali reuulsiua venæ sectio debetur, minor constat ex eo,quod eas comitatur carbunculus,de quo Galenus. Ƥ *Qui à calido manifestè sanguine, sed propter vstionem magis melãcbolico generationem habet.* Iam vero bubones, præsertimq; inguinarii, jecinoris sese in inguina exonerantis, signa sunt manifesta, ac proinde massæ sanguineæ soboles,cui tale auxiliũ instituendum,igitur in harum principio,cum scopis sanguinem mittere oportet.

O *Lib.de flatib.* Ƥ *1.de dife. feb. c.7.*

3. Si aliquod accidens obstaret venæ sectioni initio pestilentium, id esset alui profluuium,sed hoc non,igitur nullum, maior ex supradictis constat. Minorem oddus de oddis insinuat, dicẽs. Ꝗ *Neq; obstant rationes, Galeniq; decreta, quæ huic contradicere videntur.Nam vena attrahunt à loco affecto,inflammatoq; , ex qua quidẽ tractione diuersio fiet,atq; euacuatio ex parte humoris peccantis,nõ quidem illius*

Ꝗ *De pestis, & pestiferorũ affectuũ curatio. c. 12.*

illius, qui per secessum euacuatur sed eius, qui phlegmonem, & e-par, & cor occupat, occupare vepossit. Si igitur sanguinem mittere oportet, initio faciendum est.

4. Præterea, in quibus febribus sunt alui pro fluuia, iis expurgantia propinare non oportet, sed in febribus pestilentibus sunt alui pro fluuia, igitur in febribus pestilentibus in principiisq; purgationem propinare non oportet, maior ex supra probatis constat, minor satis superq; postea patebit, igitur intentum, atq; his contẽti, ne fastidio lectores afficiantur, sed ex vno multa posſint repperire, objectionibus quibusdam, dimisso ad finem Manardo, satisfaciamus.

Imprimisq; Ferdinandus Mena vsque adeò opinioni Manardi circa vrgentiam in hæsit, vt illud testimonium libri de expurgantibus medicamentis cuius initium. *Quicumq; à febribus fortibus corripiuntur, &c.* Ipse cũ tota expurgantium cohorte, nec suis vsibus adaptare, nec supplantare, nec deglutire potuit. Sed tamẽ nolens veritatem fassus est, scribensq;. ℞ *Aut dicendum arbitrarer, alterius esse auctoris disciplinam, quæ minimè cum Hippocratis dogmatibus conueniat* (addidit bon⁹ vir dictis) *quæq; vacuandum esse Velit, cocta materia, secundum illud cocta medicari oportet, & mouere non cruda.* Hæc doctiſsimus aliàs vir, incidens in foueam, non advertens germaniſsimam esse vtramq; sententiam, sed neq; dormitasse, credendum est, sed scienter pro Manardo fidem Hippocrati, ac Galeno abnegasse. Nam si quod dictat animus, ratioq; imo veriſsimam, acceptiſsimamq; doctrinam licet scribere, oraculum illud. *Concocta medicari, atq; mouere non cruda*, ex prædicta sententia, videlicet. *Quicumque à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiserit febris; sin minus saltim non intra quatuordecim dies.* Originem habuit, neq;

℞ *In expositione c. 14 lib. de expur. medi.*

 aliun-

aliundè. Nam, vt concors est omnium doctiorum cũ Antonio Musa, sententia. *Aphorismorum volumen compositum est, dum ex omnibus suis libris, bonus senex sententias insigniores selectas decerpebat, atq; sic ad quoddam breuius compendium memoriæ gratia redegit.* Sicq;, qui pertinent aphorismi ad victus rationem, illos ex libris de dicta deprõsit, qui de vlcerum medella, ex libris huius argumẽti, de vtero gerentibus, ex libris de muliebribus morbis: ea verò, quæ de expurgatione scripsit, vnde nam, nisi ex libro de expurgantibus medicamentis, assumpsit? Sed vere has duas sententias vnicum conceptum tenere, exprimereq; citra affectionem, re inspecta, mediocris medicus videret. *Nã cocta medicari, mouere non cruda*, huic æquiualet doctrinæ, *quicumq; in febribus, &c. Sin minus non intra quatuordecem dies.* Si Galenus aliorsum agens expositor legatur, scribensq;. *S Quod vero ad reliquum sanationis attinet, sorbitiones per quam exiguas ministrare præcipit, quousq; decimum quartum per transierit diem. Qua oratione morbum ante decimum qurtum diem concoqui non posse, significatur.* Hactenus verus Hippocratis commẽtator, & vt ad nostrum Menã reuertamur, quẽ magno pere mirari subiret nisi iam peiorem neuum, in ipsius facie *T* animadvertissemus, qui maximũ, in auditũq; nephas cõmisit, quum conatus est, Hippocratẽ corrigere, *debuisseq; scribere, dicit. Nisi vrgeant,* non vt fecit Hippocrates, *Nisi turgeant.* Apud quẽm idem fuit (vt est in prouerbio) rescindere, ac soluere, adeò passio hominẽ alias bonum Hippocratis, ac Galeni discipulum, obcæcauit, affectusq; ad Manardum. Sed si sic Hippocrati respondetur. Quilibet omnibus argumentis poterit respondere, dato igitur, quod homines sumus, & nos in iis, de quibus est sermo, forsitan multo minores, ad alios conuertatur stylus.

Marginal notes: *De vei tio* · *S 4. acut. 65.* · *T Exerc. 23*

Aduer-

Aduerſus nòs, vrgentiæ fautores vnicum G...ni te ſtimonium objiciunt,vnum quātum nobis licuit legere, atq; ex recētiorum ſcriptis elicere, ex quo permiſſam à Galeno expurgationē, in morborum principiis volunt, ait ſic Pergamenus. *V Multa in ſuper alia, partim Hippocrates,partim alii omnes medici veteres memoriæ prodiderunt,quibus non primæ acceßionis impetum, ſed longum magis tempus, principium nobis eße perſuadent. Nempè quo ſanguinē detrahere, & clyſterio vti poßumus, interim ſi res vrgeat, expurgare.* V Lib. de totius morb temp.c.2.

Cui ſatis faciendum iam curauimus,atq; ex cuiuſdā doctiſsimi viri X doctrina, modòverò ex noſtro marte dicimus,rectè potuiſſe Galenū,ſub nomine vrgeat, turgeat intellexiſſe. Nam vrgentia,& turgentia ſe habent,vt ſuperius,& inferius, ita vt bene valeat,turget humor,igitur vrget,non è conuerſo, vrget,igitur,turget,nam poteſt vrgere ad venam ſecandam (ad cucurbitulas ſcarificandas,antequam ſteterit fluxio,ſecundum illorum ſententiam)ad cibationem in morbi ſtatu,& ad alia multa,quod cum veritati conſonet, nihil mirum,Galenum pro turget,vrgeat ſcripſiſſe, ſpeciem ſub genere comprehendentem, ſicuti minus proprie, hominem animal appellamus. Sed hujuſce veritatis eſt argumentum concludens, in nulla aliare ita fuiſſe conſtantem Galenum cum Hippocrate, atq; neutiquā purgaſſe, niſi cocta, vel turgente materia. X Exerc.22

Sed vrgere vergentiam amicus vult, ex Galeni doctrina in libris ſanitati tuendæ dicatis. *Vbi plurimum receſſerint humores à natura ſanguinis nullo modo ſanguinem detrahendum.*

Iam diximus id præceptū præcipue ſpectare ad laſsitudines, atq; ad huc intra latitudinem ſanitatis cōtenta corpora, libri illius in ſpecto ſcopo. Nec proinde negan-

negandum, in curatione etiam locum habere, ficuti probãtes venæ fectiones tempora præſtitimus, vbi ex Galeni ſententia ſancitum eſt, *Sanguinis miſsione vtendũ eſſe, dum copioſus affuerit humor, & nondum inſigniter mutatus*, hæc Galenus, quũq; inſignis mutatio in ſtatu accidat, in quo ſumma eſt putrefactio, reliquum eſt, quod vbicumq; defuerit inſignis illa mutatio, non prohiberi venæ ſectionem, imò tunc faciendã, atq; cum minor putrefactio ſit in principio, minusq; degeneret humor, minus inquã mutatus ſit ſanguis, ſeu maſſa ſanguinea peccans, tunc licere, & decere venas ſecare, ſicuti Galen⁹ faciebat in aliquibus febribus reuulſionis gratia, vt ſæpius probauimus, quandoq; in mediocritate humorum citra plenitudinem, nonnunquam, vt liceat ad detergẽdas obſtructiones accedere, nam venæ ſectio multiplex auxilium eſt, qua adhibita ex arte artifex mirum in modum illa præſtat, quæ niſi præcedat phlebotomia, ſequi non poſſunt, neq; ſtatim deſperat, cogitat ve in principio pœnitus corruptam materiam, potius cõtra, dempta ſarcina ſemiputridorum ſtudet coctioni, vt in libris methodi late Galenus docet, atque idem vir redundantiæ ſuam aſsignans latitudinẽ (*Vbi ſimilitudinem vini ad ſanguinem*) ſic ſcribit eleganter. *Nunc*
2. aph. cõ. 17. *vero hoc tantum dixiſſe ſufficiat, quod incipere quidem poteſt ea quæ ad vires refertur plenitudo abſq; corruptione humorum, verum non poteſt optima permanere, nam omnino neceſſe eſt, vt ſecundum qualitatem tranſmutetur, & proceſſu temporis corrumpatur. Verum & ſi iſtud fiat interim multitudinem ipſam nominabimus, donec ex ſuperflui euacuatione reſiduum optimum fieri poßit*. Hactenus Galenus, quumq; in principiis morborum huius ſint conditionis humores, conatus medici in id dirigẽdus eſt, vt copia per venæ ſectionem depoſita, ſemiputris coquatur, quod videlicet, nondum

insigniter mutatus, secus multo, ac ii qui temporũ morbi nulla habita ratione, nec putredinis gradibus, seu intensione perspectis, ad pauca respicientes sola plenitudine pro scopo considerata nondum corruptos humores (relicta præparatione & aliis in numeris scopis omissis) expurgant, sed superius inter arguendum diximus, in principiis peccatum esse omnium humorum æqualiter.

Ad hoc auctoritate Alexandri Tralliani pugnant miseri quidam medici, exiguæq; suppellectilis, quibus Hippocrates, & Galenus sunt fastidio, aiuntq;, quod Trallianus commendauerit, colueritq; vergentiam, quibus nos, si cum Galeno, coctaq; materia adamauerit vergẽtiam, amplectemur, sin minus, flocci faciemus, qui ex micis mensæ Galeni (vt catulus comedit) sicuti & alios omnes auctores.

Ad locum verò de, *murmurantibus Hippochondriis*. Optimè possumus dicere, cum Michaele Villanouano sic exponente. Υ *De murmurantibus Hippochondriis lata via est, nec transitus per angusta, vt in venis Hepatis, in quibus maxima cruditas impedit purgationes; inhibens enim aphorismi ratio, locum non habet in his, quæ ex ventriculo sursum, & ex intestinis deorsum pelluntur, cum sint lati, & breues exitus.* Hæc doctissimus vir, quæ si quis benè affectus cõsideret, inueniet facile, consonare iis, quæ de tertiana Galenus, primo ad Glauconem, *De bile, & mota, & expurganda statim scribit.* Nam in ea verè cum bilis à venis regurgitet ad vẽtriculũ, & in testina, lati, & breues sunt exitus, sic, permisit Galenus, non vero in aliis regionibus contentis, sicq; mille huiusmodi objectionibus respondebis.

Υ Pag. 61.

Quid, quod doctissimus Vallesius vergẽtiam pluribus in locis summè commendauit?

Profectò ipsum semper maximi fecimus, attamen,

ſicuti multi in hoc notandi, nequaquam imitandi ſunt. Si qua fides proceribus artis debetur, & ſi rationes, & euentus aliquid valeant, atq; illius alias ſapientiſsimi
Z Lib. 4. pag. 405. hypotheſis in ſua Z methodo, incompatibilia aliquatenus, aut ſaltim rariſsima continet. *Si vera ex Hippocrate, Galenoq; in ſuperioribus recenſuimus ſcilicet, ardentia in continuis viſcera.* Quomodo enim poterunt eſſe laxa? Imò, ſi rectè legatur Galenus, vbi liquidæ apparẽt deiectiones in cauſone, noceret vehementer expurgatio, attractis è ambitu corporis magis, ac magis, qui ad vẽtrem
A 4. acut. com. 4. fluunt, humoribus, ait enim Pergamenus. A *Ego autem dico, & ventrem moueri, & biliosa dejicere, non eſſe ex his, quæ perpetuò inſunt. Nempè quod vehemens morbus ſit, motusq; acrium, & tenuium humiditatẽ ad interna ſit, proopterea hæc contingunt, his quidem, qui ventrem, heparq; cauſi veluti ſedem habent.* Hactenus Galenus, quis intellectus his fundamentis Galeni non aſſentietur? Et caſibus methaphiſicis, implicantibusq; allicietur? cum de vita, saluteq; humana agatur.

Quid quod referunt auctores, nonullos liberatos, cum euacuationibus ſympthomaticis crudis cauſis?

Reſpondemus, naturam imitandãm recte operantẽ, ſiquidem, *ars imitatur naturam aliquandò, ſæpe mentitur ars, aſsequitur nunquam.* Ariſtotele B teſte, vnde non in om-
B 2. phiſ. nibus imitanda. Atq; quod vergentia non ſimpliciter, & vtcũq; (ſicuti volunt) ſit admittenda, in ſequẽdaq;, eſt tam appoſita, quam obuia apud Hippocratem, Galenumq; doctrina, obſeruatioq; ſimul, quorũ ille ſcri-
C 6. epid. 2. 30. pſit. C *Latæ puſtulæ, quales ſimon habebat, qui cum ad ignem inungeretur, aut calida lauaretur, iuuabatur, vomitus non conferebant, puto, ſi quis fomenta adhiberet, iuuaretur.* Hæc ſenex bonus. verum tamen Galenus rem vndiquaq; inſpiciens; perpendensq;, vergentias initiis morborum,
ſuſpi-

ſuſpicione non carere, propterea quòd, homines (*nihil* D *enim fit ex nihilo*) ex plenitudine, vel cacchochimia laborare incipiunt, ſic enarrat prædictum ſententiam, atq; ſic limitandam docet. *Tantum illud noniße ſit ſatis, ſuccos ad cutem vergentes per eam eſſe euacuandos. Nam iterũ ad intima corporis reuulſio ipſis valdè longinqua eſt, vt per aluũ, aut vomitum euacuentur. Sed forſan me dicere putabis, nunquã purgatione per aluum in talibus vtendum eſſe. Ego vero non id dico, nam in libris de arte curandi, in quibus corporibus per multa humorum copia eſt, iis vtiles eſſe purgationes didiciſti. Priuſquam enim redundantem materiam aut venæ ſectione, aut purgatione quis eduxerit, &c.* At qui, cum fere perpetuum ſit incipere à venæ ſectione, ridicula eſt vergentia veſtra præpoſtera,

D 1. phiſ.

Deniq; cunctis aliis vergentiæ auctoribus valere juſsis, quibus mirum in modum, & dignè quidem illudit Michael Villanouanus, ſcribẽs. E *Præſtaret Manardo, Auicennæ, & aliis omnibus frequentius citari Galeni locos, quòd illi tamen de dignati videntur, aut quia non ſuccurrebant, aut quia forſitan ambiebant, vt ſuæ auctoritati crederemus. Hinc fit, vt in eorum nuda lectione ſæpius cogamur impingere, offendentes verba Galeni ſiniſtrè detorta.* Hactenus doctiſsimus vir, nos vero ad Manardum accedamus.

E Sermone 2. de mat. pag. 24.

Ad fundamenta Manardi, ne dicam errores, innumerorũq; laborum cauſas, atq; ad primum, de medicamentis purgantibus antiquorum. Reſpondetur, quod ipſe Manardus in ſuo fundamento callidè fatetur, Hippocratem, ante nos clementibus ſolutiuis, lenientibusq; vſum; vſumq; illorum nos docuiſſe, conſtat. quibus cognitis, ſi oportuiſſet diuinus ſenex vti innoxie ſciret, doceretq;, ſed ſanè maximus magiſter, Doctorq; dexter Manardus in tota hac controuerſia ferè nihil curat aliud, nihilq; agit, quam tela factionis aduerſæ, atq; in illum militã-

tia(vt se præseruet)primò adducere,hoc *rethori est præoccupatio.*

Ad experientiam vero iureiurando protestatam, & per multos annos,dicendum,seu common endi amici,quod in rebus tam in certis, imò periculosissimis, nullam fidem cuiq; adhibeant, F *Promißiones aliàs* (inquit Galenus) *multæ sunt, effectus aut exiguus, aut nullus*, vnusquisq; obseruare tenetur,remediiq; exitum attentè inspicere, quod si amici faciant, certum est quod se ad meliorē frugem recipiant. Nos,vt verum fateamur, plerumq; cum illis non cocta materia purgātibus, peccauimus, neq; vnquam recte cessit,non enim sumus omnino in experti,proindeq; fecisse, seu obsecundasse multum tunc doluit, hodieq; pœnitet. Sicq; iam Manardum non curamus, qui in alio cœlo, solioq;, alioq, victus genere vtentes curabat. Atque eum, quem visq; doctū alium maximoperè animo ægrotare iudicabimus, qui relictis indicationibus ex rei natura petitis,methodoq;, quæ mensuræ sunt faciendorum, ad experientiam confugiant fortuitam.

F 4.secund. loc.c.4.

Manardus ait. Scribit enim Hippocrates in libro secundo aphorismorum vigeßimo nono. Incohantibus morbis, si quid videtur mouendum, moue, quem locum enarrans Galenus, docet, interdū ab initio morborum salubrium, purgationem esse faciendam, vt minorem iam factā materiā natura facilius poßit concoquere.

HIC aphorismus vnicus, Galeniq; cōmentarium non intellecta,proh Deum,quantum humano generi noxia fuere,faxitq; piissimus Iesus Christus,ne de cætero sit. Neq; vero error venæ sectionis ex latere opposito in pleuritide huic vnquam potuit conferri,nam in pleuritide,ex quacūq; vena, quamvis remotissima sauguis detrahatur, in causis venæ sectionem exposcē tibus,necessitati remedium quadam tenus respondet, tempo-

temporisq; curriculo (morbo dante inditias) gratiam qualem qualem præstat. At vero vbi opus est sanguinis missione (illam enim causæ in principio postulant) vti expurgatione (bono iuditio) nihil est aliud, quam panem petenti colubrum porrigere, ad institutum. *Hic aphorismus à nonullis viris, sapientißimis G (sicuti iam dixi mus) de humoribus turgentibus exponitur.* Qui sic sentientes, bolũ è faucibus Manardi, Menæ, Braui, atq; quã plurimorum discipulorum, sequaciũq; eripiunt, atque sic difficultatem vnico verbo absoluunt. Neq; vero decuit Manardum, vndiquaq; doctissimum virum, ob tam leuem scrupulum, aduersus cũcta artis præcepta, & medicos principes, omni arti medicæ fidem abnegasse. Audiamur amore Dei iterum, *atq; ea, quæ ad artem maximè neceßaria sunt, repetamus.* Sic enim faciendum, vbique Galenus consulit. *Exerci. 23*

Et ne aliquis circa hanc explicationem præsentis aphorismi supersit scrupulus, advertere oportet, principem discipulorum Galeni Donatum Antonium Altomarum conatum fuisse probare, falsam esse. *Ex eo, quod turgentes humores coctionem non admittant, nec in eis præstolãda sit coctio. at vero Galenus in expositione loquitur de coctione, deq; humoribus concoctionẽ admittentibus, igitur immerito Hippocratis aphorismus vrgeßimus nonus secundæ sectionis poterit de humoribus turgentibus exponi.* Hæc sunt, & alia in hanc sententiam objecta, quæ fere responsione non indigeant. *In opusculis.*

Cæterum huic obiectioni respondẽdum judicamus, humorum turgentium quosdam esse tenues, aliosvero crassos, præterea, & in tenuibus esse partes quasdam crassas, alias vero tenues magis, in quibus præcipuè tẽtanda est purgatio, ii enim concoqui nequunt ob inquietem, atq; hæc materia pharmacis ducta, minoriq;

facta caccochimi succi quātitate, crassiores partes coctioni non reclamant, si enim tenuiores, quia mobiles non coquntur, crassæ magis, & pigræ poterunt expectare coctionem; *turgere vero etiam crassos humores, & difficile mobiles testatum reliquit Hipp.* Sicq;, huic obiectionis respondetur, neq; de aliis quidquam est curandum, quum secunda explicatio vtilior ægrotantibus, elegātior medicis, Hippocratis, & Galeni lectioni magis cōformis sit. Atque oppositorum sententiam concludit fuisse futilem.

Lib. 1. de morbis.

Quumq;, *ingenuum sit fateri, per quem pro feceris,* Hieremias Triuerius in expositione vult. Sub illis verbis. *Cū morbi incheant.* Aitq; *H* quartā esse principii acceptionem, hisce suis sapientissimis. *Quartum enim, ex sentētia Hippocratis oportet apponere, quod verum principium, atq; augmentum continet, quodq; in statum protenditur, atq; ab eo omnino distinguitur. Id nunc manifestè ex verbis Hippocratis constat, quia principio nominato, ad statum transiliuit, tanquam augmentū sub principio continuerit. Clarius id cognosces, quia morbum in tria dumtaxat tempora partitur, hoc igitur modo auditus Hippocrates, nullam admittit controuersiam, sed consentaneè aliis locis, tantum augmentum deputat purgationibus, quod melius est nunc exemplis, quam rationibus astruere, nam peruicaces nunquam rationibus conuinci possunt, sed vt inquit Galenus, modo prostatorum malignè de colo dependent: Sunt autem manifesta ea, quæ, ipse in libro de arte curatiua febrium ad Glauconem scribit. Vbi purgationis opportunitatem captans, Tutius inquit vbi signa coctionis se se apparuerint. Nunquid hæc palam omnibus audientibus, tantum manifestam coctionem ad expurgationē requirit? Et si intelligas, cum apparuerint signa perfectæ coctionis, nunquid tantum ad secundam status partem contrahes? Certè vel in principio status signa perfectæ concoctionis apparent, quia augmentum docente Galeno, signis perfectæ coctionis finitur. Verum*

H 2. aph. 29

rum ista ex illis locis tam manifesta sunt, vt nemo repugnet, nisi qui alteri sectæ mancipatus fuerit. Nec mirum quia huiusmodi homines (inquit Galenus) magis pro secta pugnant, quam pro patria, quod in rephisica ferendum erat, sed in re adeò periculosa, vereor, ne cum veritate Deum offendant, sed ipsi viderint. Nam si verum fateri volũt. Solum augmẽtum iam sciunt nobiscum ad purgationem opportunum. Hæc doctissimus vir, liberrim⁹ q; , vbiq; veritatem amplectens. De quo non audẽdũ dicere, addictum fuisse Galeno, cum passim ab eo recedat, nec tamen veritatem non colit, sed recipit, reueretur q; , ex quo elucet, quod cum Hippocrates scripsit, *cum morbi inchoãt*. Principium, in incrementumque subaudire oporter. In incremẽto vero licere purgare, tam in inflãmationibus, quam in febribus solis, scitis I nos probasse. Sed neque inuentum fuit Hieremiæ (cui multum ars debet) sed Hippocratis, & Galeni, qui bus plurimum, seu totum. Quorum ille sic scripsit. K *Verum inter initia, neq; multum, neq; crassam admodum dare oportet.* In quorum enarratione Galenus ait. *Atque in præsentia verbũ hoc inter initia* (Græcis vocibus adductis) *exponam, neq; enim morbi principium id significat, sed ex eo generalius audi significatum.* Hæc Galenus, à quo omnia Hippocratis ænigmata exposita extant. Vndè, hæ phrases, seu voces. *Inter initia, circa initia, cum morbi inchoant.* Non solum principium, sed & augmentum comprehẽdunt. Et quomodo dicatis aliter seruari poterit fides auctoris, quarti acutorũ dicentis? *L Quibus vrinæ principio, nebulosæ, & crassæ existunt, hos annuentibus cæteris purgare oportet.* Maximèq; dicente cõmentatore. *Sic certè impresentiarum audire oportet vrinas nebulosas, eas quæ albas habent nebulas, quæ coctionis notæ existunt, quoniam igitur cocta medicatur.* Hæc Galenus, si igitur, totum tempus quo crudus est morbus, est principium, atque finitur co-

ctionis

I Exerci.23

K 1.acut.24

L 44.

ctionis manifestæ notis. Plus aliquid (vt probauimus) continet hoc principium vetustissimi Hippocratis, nẽ pè ascensum. Quã quartã acceptionẽ si grauissimi viri (præceptoresq; nostros licet appellare) assecuti essent, & qui nobiscum hodie medicinam faciunt, proximorum saluti, melius à Manardo ad nos, post centũ fere annorum spatium (vt existimamus) cõsultum fuisset, in quibus purgationes intrepidæ iussæ apparent. *Sed nos periculum ex aliis faciamus, nobis quod ex vsu sit*, quibus resipiscere adhuc licet, dum tempus est.

Manardus rursus scribit. Ex quibus verbis, & nomẽ (minorã di videlicet) & rem ipsam videntur sumpsisse recentiores.

Profectò secorditer, nam Manardi, recentiorumq; minoratiua medicamẽta multum distant à Galeni mẽte, vt nuper ostendimus, hic enim coctapurgat, neque vnquã aliter Hippocratis, Galeniq; discipulus id præstat, nisi turgeat materia, duplex hæc est aphorismi interpretatio, quidquid redolentes barbariem dicant.

Manardus præterea. Id autem quod Galenus interdum faciendũ dicit, temporibus nostris crebrius, imò ferè semper faciendum est. Si quidem nostro hoc seculo corpora humana lõgè magis, quam tẽ poribus Hippocratis repleta morbos incurrunt.

Multi viri docti, atq; in litteris humanioribus raræ eruditionis, mediciq; nonulli oppositum astruunt, qui bus omissis. Nam Christiana religio à gula nos arcet. Huic Manardi placito (semper enim auctor suo honore est afficiendus) satisfacit, nec solum respondet, verum euidenter aduersarium concludit prællegatus Michael Villanouanus, per hæc verba, aureis characteribus scribẽda. M *Nec ob nostri seculi voracitatem purgationem commendare, satis conuenit cum Galeno, qui ob eam ipsam causam, diuitibus consulit mitti sanguinem, libro vndecimo methodi, quia plures ex luxu, & ciborum intemperantia succos congesserunt.*

M In expositione ad 22. apho. lib. 1.

geferunt. Proprium enim missionis sanguinis est succorum in discretã multitudinem minuere, cum pharmaca secretos potius attrahant, quos in cruditatibus post voracitates non inuenias.
Hæc magnus Galeni discipulus, valentissimè in contrarium retorquens. Quæ ememoria nũquã excidãt, ex illis siquidem Erasistratei conuincuntur, atq; crudi tatum fautores, deteguntur.

Manardus vlterius, diximus enim, Galenum nos opere docuisse, non semper etiam, non materia turgente, ante purgationem esse expectandam coctionem. Vicariam quoq; facere expurgationem venæ sectionis.

Imprimis Galeno falsum Manardus imponit. Secũdò illa testimonia de iis, qui adhuc intra sanitatis latitudinem continentur, sunt intelligenda, non vero de actu, & cum periculo ægrotantibus, super quæ multi è neotericis. *Duplicem esse venæ sectionem affirmãt. Vtilem,* N *& necessariam,* est vtilis sanguinis missio, quæq; omitti potest, & expurgatione suppleri, de qua ibi loquitur, at vero necessaria venæ sectio non omitti, nec in scoporum præsentia ab expurgatione supplementum accipere potest. *Sed,* O *& per noctem iubenda,* neque differenda est vnquam.

N *Mena & alio multi.*

O *Lib. de sang. miss. c. 12.*

Manardus ait, Hippocrates in vulneribus, in epidemiis, & fracturis plerũq; purgatione vtitur, absq; vlla coctionis mentione.

Si in vulneribus, & vlceribus, ob reuulsionem iussit Hippocrates, id nos non negamus, fit enim in principio, ac proinde sine coctione, sicuti ob deriuationem, in incremento, sed neq; Manardus loca adducit, quia nusquam apparent. Infracturis certum est, bonum senem proposuisse, Galenum vero illum correxisse sic.

P *Quibus Hippocrates succurrit purgatione, per medicamenta, nos per venæ sectionem, miramurq; , ipsum hac sola contentum non fuisse, cum hoc præsidium nouerit, atq; ad huiusmodi ca*

P *2. de fractioris. 31 com.*

F *sus*

sus adhibuerit. Hæc admirabilis Galenus, quæ Ferrariensis omisit.

Manardus deinde ait. Eadem pericula (primum roboris dissolutio, secundum febrilis caloris augmentum tertium decubitus humorum ad membra principalia immitent in materia plus nimio aucta) quæ timentur in materia turgenti, nec probatione indigere, vires quippe ex immenso pondere labefactãtur, calor febrilis cæteris paribus in materia maiori est maior, facillimèq; humores totum corpus opplentes principalia membra attingunt.

Hoc argumentum est Manardi Achilles, concludit verò auctorem, Charandinumq; discipulum, sequaces q;, & aliquot socios, in vrgentia non aliud auxilium, quam purgationem inuenientes, verum si ad curandũ accersatur mediocriter instructus medicus methodo, indicationibusq;, qui recte venæ sectionis leges teneat, qui scarificationẽ, cucurbitas, clysteriaq; iubeat, atq; alia præsidia, res forsan melius cedet, sed mirãdus Manardus, qui manifestè vitium qualitatis, cum quantitatis peccato commiscet, non advertens, Q *In plenitudine ad vires, ob id putrescere humores, atq; malam qualitatem induere, quia nec vincuntur, nec concoquntur à facultate non potente illos elaborare.* Itaq; præcedit peccatum quantitatis, sequitur qualitatis, atq; hic duplex affectus repperitur in principio febrium, vt in plurimum attamen deuorant camelum, & culicem fastidiunt. Sed ad institutum iterum. Probabimusq; inconuenientia inuẽta à Galeno in turgentia humorum, nullo modo inueniri posse in vrgentia, aduersus Manardum Altomarũ, supponendum tamen est prius, loqui nos hic de turgẽtia rigide sumpta, nuper enim probauimus, nec modò inficias imus, omnibus humoribus turgentiam largè cõuenire hoc sic statuto, atq; imprimis, *quantum ad roboris dissolutionem in vrgentia humorum.*

Q
1. de feb. diff. c. 6.

Manardus frustra laborat, quia oppositum conclude re licer. Quis enim medicus, vel innitiatus, non videat? in multitudine, hoc est, illius vrgentia, corpus imbecillum per aggrauationem, non per essentiã esse, atque euacuationibus adhibitis vegetius, robustiusq; reddi, atq; præcipuè, præcipua venæ sectione, sic enim R Galenus, iam aliorsum citatus. R 11.meth. c.15.

Leuata namq; , quæ nostrum corpus regit natura, exonerataq; ab ea, qua veluti sarcina præmebatur, apertiusq; sic. *Si* S *Nã q; si abũdãtia paulo superior viribus fuerit, vtiq; ex moderata euacuatione, adeò nullum accedit viribus incommodum, vt maximum comparetur commodum, quod eas præmebat, sublato*, hactenus Galen. Hoc sensus indicat in vrgentia, tam ægrotantis, quo ad actiones; motusq; voluntarios, quã medici in pulsibus. At vero in humorum turgentia, multo aliter mora temporis accidit, idque, quoniam turgẽtia accidit in T hominibus calidis, & siccis, *Atq; huiusmodi hominibus, febre ardente, magnaq; in tẽperiè affectis quib⁹ virium robur inesse posse negat Galenus*, & quales quales fuerint vires, summoperè ne corruant, prouidendum est, atq; hæc est citissimæ purgationis, &. V eadẽ die propinandæ concausa, *secunda est caloris febrilis augmentum*. Cui etiam, quæ dicta modo sunt conueniunt, *In materia enim calida, & sicca octo caloris gradus inuenimus, quod non accidet in frigida; Sint exemplum stuppa inflammata, & ignitum lignum, quamuis magis vrat lignum ignitum, quam stuppa cumq;* X *facilior sit trãsitus in similia* (nostro iuditio) per peram philosophatur Manardus, & vt ad medicinam reuertamur, relictis principiis, sequeretur, ob eãdem rationem, præcautionemq; augmenti, caloris febrilis, in omni, & qualibet febre putrida, statim vtendum expurgatione, probatur, quia in omni putrida (morbo procedente) augetur calor, quæ praxis quantum ratione

S 10.meth. c.10.

T 10.meth. c.5.

V 4.aph.10

X Axiomã.

 tioni

tioni dissonet pueri dicant, ad tertium, difficiliusque inconueniens accedere, est opus.

Timet Galenus ex humoribus turgentibus, mobilissimisque in mẽbra principalia decubitum, Manardus vult timetq; in humoribus crassis, motuiq; ineptis quibus Manardus pedes adjicere cõsulit, imò, si medicamẽtũ eos mouere posset natura, quæ vim patitur, coactèq; mouetur: etiam malam trãsmutationem, decubitumq; inopinatum facere, cogeretur. Quamvis enim iuditia per abcessus fiant, attamen omninò cruda materia accidunt. Et en tria inconuenientia expurgata, sed verè, Manardus, vt suam vrgentiam mordicus tueretur, hæc inconuenientia perperã commentus est. His addite, quod, nostro juditio, inconuenientia à Galeno in turgentibus enumerata, ex cogitataq; collectiuè sumi debent, sicq, vrgentiæ cõuenire nequeunt, quamvis fortasse aliquando vnum appareat, quæ omnia si simul sumpta rectè Manardus excogitasset, & illius sequaces hodie citra affectum ad auctores inspicerent, omnino oppositum esse verùm inuenirent, atq; pericula ipsissima, quæ dimissa citissima, diligentissimaq; expurgatione in turgentibus accidunt, eadem proculdubio, admissa in vrgentibus importuna admodum expurgatione impendere. *Nam primum virium videlicet robur* (cuius contrarium accidit venæ sectione) *Ex violenta expurgatione in vrgentia concidit*; *nam* Galeni decreto, Υ *Non oportet natura vim intempestiuè inferre, sed ei in tempore subvenire.* Secundum, quod augeatur calor expurgatione, quis nescit? nisi, qui non fuit Galeni discipulus, quando verò non apharmaco Manardi (vt supra dictum est) *à frequenti surgendi labore.* At vero tertium, decubitus nimirũ metũ quis negeti? Nonne hoc ipsum comprobat illud Auicennæ famosum? *Multa mota nocent, quæ si non mouerentur non nocerent.*

Υ Li. de victo. acu.

Famosum princi piũ Auicẽnæ.

rent. Sicque, *hæc faba in Manardo cudenda.*

Manardus adhuc ait: Huic (videlicet turgentiæ) possumus alia via occurrere, reprimendo videlicet motum, alterundo calorem, & membra principalia corroborando.

Galenus nullum æquale præsidium in turgentibus inueniri potuit, quam eadem die purgare, *à quo adjuti addidimus, Z aliquãdo etiàm sanguinẽ mittendũ, in turgẽtibus.* Z Exerc.13

Inuenta remedia a Manardo imparis numeri sunt, imò, nulla videntur, non enim solum in turgentibus, *A Sed in omnibus aliis humoribus præternaturam indicatio prima, potissimaq; est, ablatio eorum.* Sicque venerabilem alias senem Manardum, docere deceret, quibus medijs esset motus reprimendus, non vero sic ieiunè proponere. Moti enim humores sibi manum porrigi, expostulant, ianuamq; (veluti qui pulsat) sibi aperiri desiderant, non vero oppositum, occludi, retineriq;, vt Manardus innuit, sicque turpiter in primo labitur, & sine fundamento, aduersus totam artem. In secundo, circa calorem alterandum. Verum est, *Aliquando Galenum, B relicta causæ indicatione, febri aliquando occurrisse, quando non licet euacuare.* Verum in turgẽtibus licet euare, & vti vtroq; auxilio, & decet, quorsum ergo relicta via regia, semita coactæ curationis inquirenda? Sicq; hæc cogitatio nullius est momenti. Nam de tertio, scilicet de corroboratione membrorum principalium, quid æquale dici potest. Vulgariter loquitur hic Manardus (ignoscant eius manes) attingunt, fereq; intrinsecus lædunt membra principalia humores, forsitã corroborantibus, astringentibusq; magis in illa impellentur.

A Axiom.

B 10.meth. c.1.

Manardus insuper, occulta quadam, & pestilens malignitas, quia affecti humores, nisi statim purgentur, cor, vel aliud principale membrum petentes vltimam afferent permitiem.

Ridere licet Manardum, & alios innumeros, quotidie hæc dicentes, neq; advertẽtes, quod hostis habet muros. & nos nuper. C *Strauimus innumeris tumidum Pithona saggitis.*

C Naso. 2. meto.

D Exerc. 27

Hoc est, nuper D probauimus, primam veneni inuasionẽ esse in cor, atq; ex eo in membra principalia, sicq; ex illo, illisq; venæ sectione esse educendam, cuius oppositum efficere in principio expurgationẽ, nonullis mediis probauimus in præcedentibus.

Manardus idem; sed nonne apud Galeni methodum legerunt? quotquot ex immoderata illa pestilentia incolumes euaserũt, multis per vomitum, omnibus per ventrem, corpus antea fuisse expurgatum, & exsiccatum.

Sed nonne Manardus obseruauit (id enim nos testamur) in pestilentibus constitutionibus plurimos occũbere ex alui pro fluuio? Nonne legit Manardus, quod in tertio statu pestilenti, libri tertii epidemiarum, Hippocrates testatum reliquit? E *Vnoq; verbo qui longis morbis, vel acutis tenebantur, ventris vitio omnes præcipuè mortui sunt, cunctos namq; sustulit venter.* Sed omittamus Manardum, nostros amicos alloquamur, commoneamusq; vt non rarò fecimus verbis, typisq;. Cur hæc non vident Hippocratis? Quæ si vera sint, quam vtilitatem expurgantia in febrium pestilentium curatione initio præsertim afferre possunt? Sed videant Galenum in enarratione dicentem. *Et pestis quoq; longißima, quæ nostra ætate vulgata est (confirmat Hippocratis obseruationem) ex iis, quæ per aluum euacuantur, omnes propè peremit, quæ euacuabãtur, erat colliquatio, quod quidem esse symptoma in perpetuum videtur febris, quam pestilentem priuatim vocitant*, & alibi, F *Qualis in febribus pestilentibus contingit.* Hæc Galenus, vbique agens de pestilentibus morbis, atque si res testimoniis, & auctoritatibus esset agenda, proculdubio victo-

E 57.

victoriam caneremus, quia pro vno sunt multa, atque ratione munita, vt in præallegata exercitatione aliquid probarum iam est. Sicque in statu pestilenti missferrimo, quis in Hippocratis, Galeniq; lectione versatus (si aliqualis ei contigerit obseruatio) medicamẽta purganria porrigat statim?

Sed vnde infert Manardus, & sequaces conuincuntur, liberatos à peste illa, non antea euacuatione sanguinis leuatos? Cũ exonerata prius natura, neq; aliter (vt demonstratum etiam) eæ euacuationes cònferre posśint, G *Nam quibus ritè, & largiter fluit sanguis, ea de causa seruabantur maximè.* Atque de fœminis idem testatur. H *quibus tunc menses apparuerunt.* Vnde, & omnes viri docti prius venas secant, neque expurgandum iu principio (nisi materia turgear) consulunt. G 3.epid.2. 36. H 1.epid.2. 28.

Manardus ait (quod ad calcem opusculi seruare volui) mitiora, atque minus agitantia habemus, qualia siliquæ ægiptiæ interiora, vel ipsa siliqua virens adhuc condita, melacreum, quod manna vocamus.

Huius casśiæ fistulæ, Manardique amatores alloquamur, quorum vicem (Deus conscius est) dolemus erratis socii capitaliter in proximos, alii alios ballantium more in sequentes, atque in artem medicam delinquitis grauisśimè. Primum, quoniã mittendi sanguinem præceps occasio euolat, quod auxilium vna luce bis, aut ter repetitum morbum jugulat, pro crastinata phlebotomia ægrotántem interficit. *At qui cum* I *occasio tempus multum non sit.* Captanda accuratisśimè est. Secundò materias quiescentes agitatis, vel motas nõ euacuatis. 3. nocetis habentibus viscera debilia casśia K fistula, ac vt magis recipiant, disponiris, quod, quã graue sit crimen in ardentibus (quæ plurimum inflãmatis visceribus admittũtur) in superiorib⁹ audiistis. I Hipp. lib. epist. K Mesuens c. de casśi.

Dicitis

Dicitis cassiam fistulam solum lenire, huic placito obuiam iuit Ioannes Mesueus, illi facultates electiuas assignans, ac proinde debitas præparationes, seu dispositiones, exigit, vt potè quæ à secunnda regione attrahit, vndè proculdubio cassia fistula, & aliis solutiuis sine dispofitione, & importunes iussis. Opportunissimo venæ sectionis tempore ommisso, quæ duo *extremis morbis extrema remedia optima*, à vobis pessima facta sunt (præter quæ nihil aliud nos scire vulgus ait) si læsionem, vel præsidium sic attulistis, vos judices cōstituimus. *Conscientia enim mille testes.*

In capite proprio.

SED ne dicatis, meum somnium esse, atque vsum cassiæ fistulæ in acutorum morborum principiis esse laudandum, legite quæ duo recentiores viri doctissimi circa illius vsum importunum annotant Cardanus inter cæleberrimos nostræ ætatis errores, hunc recē-set sic. L *Itaque valde peccant, qui cassiam, vel etiam æmata præponunt sectioni, sed deterius valdè, qui alio vtuntur medicamine*, Estq; apud illum titulus, quod quandoq; præponunt medicamentum sectioni venæ, atque reddit rationem. *Quoniam sectio venæ trahit, quod est de propinquo corde ad extremum, & lenitio quod est de propinquo hepati, & melius est vt materia, quæ est iuxta cor, declinet ad hepar, quam è contra, igitur minutio præcedet, nec humores in venis superabundantes aliò modo melius soluuntur, quam venæ sectione, non igitur purgatione.* Ac M Doctor etiam maximus, Gabriel Fallopi[o], qui in plurimis aliis morbis vsum cassiæ fistulæ perhorrescit. *Testatur se vidisse tertianā simplicem, ex propinatione tali cassiæ fistulæ duplicem factam, cassia ipsa in bilem conuersa*, Sed & fatetur;& sancit nimirum candidus, & pacificus vir. *Et quamuis ego in principio morborū cruda existente materia, exhibeam aliquando cassiam, sciatis quod id facio, ne semper contendam cum aliis his medicis, & discrepare*

L *Li. de malo medēdi vsu. c. 68.*

M *Tract. de medicam. simp. pag. 73.*

crepare ab ipsis videar in omnibus, at semper fugio, quantū possum vsum minorantium dum materia est cruda Hæc valentissimus vir, atq; vt iam rèceptui canamus.

S I qui dixerint, nos non ita expertos, nec ita fidedignos nec audiendos sicuti Manardus, & alii extitere imo absq; arte ferè & experientia, alios verò doctos expertos, plurimosq; , atq; per innumeros anos hac praxi^s curationeq; vsos, neq; illa damna, erroresq; annotauisse.

Primum dicendum non personis, sed probationibus standum, non aliorum (vt iam diximus) sed nostris euētibus, neq; vero quod de regionibus frigidis, subjectis q; robustis potentibusq; solutiua optimè ferre, est alicujus momenti, cū crudis humoribus frigidis, & crassis, & quandoq; viscidis frequentius, quiq; difficilius moueanrur, scatcant, & si in aliquibus œgrotātibus exhibenda essent medicamenta in principio, obtenues sequaces humores esset rationi consonū, sic enim sanciebat Hippocrates humores turgentes respiciens, nō igitur ob crassitudinem humorū, & temperamenti frigiditatem possunt concedi in principiis expurgationes, imo multo minus.

Sed an credendum doctissimis viris multos expurgationibus importunis passim mortuos videntibus, at q; in sæuitiem, acutiemq; morbi causam, non in prauā methodū rejicientibus accidisse, id quod de non dexteris quibusdam chirurgis ex Hippocrate Galenus refert. Hac verborū serie? N *Sed quod retulit Hippocrates in libro de fracturis, vbi agens de his, qui fracturas cum vulnere perperam ligant, atq; ob id lædunt, ait. Non enim deligationem causam esse existimant, sed aliud quoddam infortunium.* N *1. acu. co. 13.*

I A M absoluta exercitatione in mente subiit, proximis diebus à fide dignis doctoribus audiuisse, quos-

dam medicos existimationis, & in medicina facienda veteranos in ea esse (si ita licet dicere) sententia, vt iudicent, pauperibus ægrotātibus magis differendā phlebotomiā, atq; eorundē acutas, magnasq; ægritudines ab expurgatione inchoāt, ingenuè fatemur, causas, sco posq; (si qui sint) nos ignorare. Sed pugnātiā, seu ænigma hoc soluat Appollo. Manardus, & alii tum demūr, tum pro crastinant venæ sectionem diuitibus ob ingluuiem, & illico purgationē imperāt. Amici, sociiq; nostri demunt, pro crastinantq; phlebotomiā pauperibus (causam nescimus) & purgationē statim jubēt. Inopes, jciunantesq; vacui, vt pleni, satiatiq; tractandi sunt? *Discordia semper in scitiam arguit.* Cumq; in diuitibus quidem statim expurgatione vtantur, alii vero in pauperibus, sciscitari licet, in mediocris rei, sortisq; hominibus quid faciendum? noua enim isthæc indicatio erit. Sed relinquamus illos, donec ipsi secū conueniant circa causam pauperū parce comedētium, cæròq; per soluentium (quantū nostræ tulerint vires) quæ consequimur, referamus, nō sic Galeni tempore curabātur, qui citius, quam diuites conualescebant, qua veritate, & doctrina vix scimus in arte medica aliquam fuisse ita cælebrem. Nam dum admirabilis ille vir in ditissimis illis tractatibus, conferret diuites pauperibus. similib[9] morbis correptos, in hæc verba ait. O· Sanè *accidit, vt in eiusmodi morbis diuites potius, quā pauperes perperā curentur, &c.* Vbi causas refert, moxq;. *Ac inter mitia quidē sanguinis mißionem maior eorum pars propter mollitiem non admittit, tamet si magis quam pauperes redundantiæ sanguinis affectibus sint obnoxii,* quibus sic structis, vlterius pergit, additq;. *Itaq; accidit, vt in illo ipso tēpore phlegmone diuitibus incipiāt, quo iam pauperibus morbus per ductus est ad finem. Quippe mißo in propositis febribus inter initia sanguine, non pauperibus, modo*

O· 11. meth. c. 15.

verum

verum etiam diuitum feruis, plurimis quidem quinto, aliquibus sep timo crisis cōtigit nemini ferius. Hactenus Galen⁹ illis omnino oppositus,& vtinā non inuisus. Intra cuius monumenta omnia necessaria repperiri possunt, à quærētibus tamen,& vigilantibus.

Quumq; ,vt pulcherrimus ille vir semper vniuersalia exemplis illustret dicēs sic, *quandoquidem in exemplis exercitari quidvis discētes maximè expedit, neq; enim satisfaciūt ad exactā cognitionem vniuersales methodi.* ℗ Illas duas scripsit hystorias,curationemq; adolescētium duorū, quo rum alter continenti sine putredine, alter cum putredine febri citabat,quas,& oportet,& licet per otiū totas legere. Quod nostris vsibus vtile fuerit,breuissimè videamus,attendamusq; eadem venæ scissione in vtroq; vsum Galenum,atq; re benè in specta (vt in ipso omnia conveniant,cōsonentq;) in libero illo homine ob eruditatem venæ sectionem distulit,atq; ob cōsultationem habitā dum sic scribit inferius. *Visum nobis est huius auxilii considerationem, in aliud tempus remittere, simul vt certius sciremus, cuius generis esset febris, simul necessario propter eam,quæ præcesserant coctionis tarditatem.* Hactenus ille,qui omnibus indicationibus præcedentibus ad rē accedens. *Aufero itaq;* (ait) *ab homine,eò vsq; de industria sanguinem. quoad animo linqueretur,* jugulata est febris, risusq; concitatus tunc, ad alterum vero idem vir accedens, inquit. *Is cum toto die multum laborasset, deinde lauatus paucula comedisset* (attēdite) *Cæpit nocte febricitare,&c.* Inferiusq; sic docet. *Ita quoq; vena huic protinus incissa,vsque ad animi defectum euacuauimus.* Hactenus Galenus similia remedia adhibens ex artis regulis, methodisq; , credendumq; est ad posteritatis doctrinam id factum fuisse, liberumq; seruo æquasse.

℗ 9. meth. c.4.

Exempla,methodusq; satis superq; erāt, sed agēda

res ratione medica, atq; præsentibus scopis ad expurgationem secundum socios, amicosq; doctores, super est, sit etiam ad phleboromiã, vt supra iam dictum est, quibus statutis, & in necessitate phlebotomiæ pauperis, & serui, statim in pauperibus iubenda est phlebotomia, nã in his, potius quã in diuitibus ob scopos opere est venæ sectio exequenda. Et vt ad exposcentẽ accedamus scopum in pauperibus, & seruis maiori ex parte infectior est sanguinea massa, ob alimenta, ob prauum in illis ordinem, ærumnas, intempestiuas exercitariones, & reliqua, in quibus tempus absumendũ non est, patent enim, quo in casu statim auferendũ è venis indicatio suggerit, in promptu est ratio, quoniam naturæ gratiam recipere non potest, vnde si tãtisper differas, in venenũ conversus, cor impetet, præsentaneèq; enecabit, quæ quis medicus negare poterit? Amabo, vide amus liberos, diuitesq; quibus ex opposito hæc omnia adsunt, sicq; reliquum est, & necessario tenendum, ob postulantem affectum pauperibus, seruisq; vehementibus ægritudinibus correptis, quantumq; agitur ex causis morbos commitentibus, maiorẽ esse indicationem venæ sectionis, quam in ipsis diuitibus, nam in iis crudi sunt in primis venis humores, in secunda corporis regione semicorrupti continentur, atq; vtriq; tum pro crastinant, tum commẽsurant venæ sectionem, dicente Galeno, *Et semiputridorum concoctio*, vt dictum iã est, quia portio aliqua ad benignum reduci potest. Vnde in iis, potius quam pauperibus præstolanda est indicata phlebotomia.

At vero scopo permittente inspecto, citius opẽ ferre debemus pauperibus, quam diuitibus, nam quantũcumq; sit in seruis pauperibusq; viriũ robur (si possit virium robur appellari) breuissimè, præceps, nisi captetur

tetur, abibit occasio, diximus si virium robur sit appelandum cum corruptione. Non enim leuis extat apud Galenum scrupulus (à quo neminem rectè expeditum adhuc audiuimus nec legimus) tali verborũ serie exaratus. *Si vero cum humorum corruptione, vel defectu vires validæ fuerint, &c.* Q Quomodo enim si virũ robur resurgit ex bona humorũ tẽperie, quando non modo in tẽperies illis in est, sed etiã corruptio, virium robur difficillime seruabitur, docuit qui potuit, & reliqua omnia Galenus, *quem si non aßequamur, potius ruditatem nostram damnare, quam veritatem ipsam obscurare tenemur.* Virium igitur robori, qualicumq; in corruptione & in pauperibus, habituiq; corporis illorum, seruorũq; summè tãdem, & magis, ac magis quam in diuitibus prospiciendum, quod nullo modo melius, quam opportune misso sanguine præstare possumus. Q 1. aph. 17. com.

Neque vero in rebus ita seriis locum habere subterfugia assolent, & imprimis, si cruditates, & debiles vires aliquis objiciat. Illum redarguet ita vtilis, sicut obuius apud Galenum locus. R *Vbi ergo multa euacuatione est opus, verum vires sunt imbecilliores, in his euacuationem partiri expedit, vti nimirum, & me fecisse vidistis in iis, quibus crudiorum inerat humorum copia. Nam paucu'o sanguine detracto, protinus melicratum exhibeo probe coctum, cum incidentium medicaminum quopiam veluti hysopo, origano, & interim etiam nepita, aut pulegio, aut certe eum melicrato, oximel, aut oxglycy, ac sic rursum sanguinem minuo*, &c. Hactenus Galen. ex quo si occurrant pauperes cruditatibus laborantes, etiam in principiis nulla habita expurgationis mentione phlebotomo vtitur. R Li. de sãg. miß. c. 12

Quod si quis dixerit ita debiles esse pauperes, seruosq; , vt potius deplorati sint existimandi, & vt tales

relinquendi. Huic dicendũ,negare ſenſum, & id quod quotidie ſæpiſsimè omnes videmus, præterquã quod in periculoſiſsimis periclitandum,atque abſq; Hippocrate, ad id non parum noſtra religio nos vrget.

AT vero ſi aliquis ob maximam,prædictamq; corruptionem ad expurgationem ſe recipiat, ex ſuppoſitis in purgantes ob vrgentiam, & ob alios ſcopos ſine præparatione,conuincitur.Sed perpendamus,quæ ingenioſiſsimus Galenus in humorum corruptione cum virium debilitate ſcripta reliquit, atq; non à quolibet
S 9.mech. c.10. medico præſtanda. S *Porro in iis continentibus febribus quæ ex ſtipatione meatuum accenduntur, quoniam valida plerumq; virtus eſt citra periculum vacuatio adhibetur,in aliis vero morbis maxime eſt periculoſa,veluti ſi forte incidit in corruptela humorum, de qua tempeſtiuum eſt mentionem facere,quo omnes mittendi ſanguinis indicationes in hoc libro decidamus. Ergo quod corruptum eſt id alienum à natura eſt, quod tale eſt,id ſe auferendum dictat, ſi igitur cũ viribus imbecillis corruptela incidit, vtiq; quod affectus eſt remedium, id cum virtutis cuſtodia pugnat, ſi quidem affectus vacuandum eſſe præcipit idq; vel vena in ſciſſa* (ſuis videlicet tẽporibus) *vel purgatione* (opportuno tẽpore) *harum autem neutram ferent imbecillæ vires. Quoniam igitur in omnibus eiuſmodi repugnantiis incerta ſuccurrendi ratio eſt,aliàs inſanabilis omnino affectus relinquetur, aliàs ſpatio, & ægrè,idq; ſi magnum nactus ſit medicum ſanari poterit.Oportet nãq; vbi indicationes ita ſibi adverſantur, & paulatim quod vitioſum eſt euacuare, & paulatim inuicem quod ſalubre eſt pro eo reponere, vocant medici eiuſmodi vitioſi ſucci græce epicraſin.* Hactenus Galenus nulli neceſsitati deficiens.

Sed amore Dei & proximi audiant,quid in primis venis miſeri ſerui,vel pauperis ſuperfluũ inueniunt, quorum ori nondũ adhibita eſt buccella, quando agula iã attracta eſt. Sed, & ſi copioſum alimentum accidat,&

quoti-

quotidie oppiparè edant, ob laborē, exercitiaq; statim venæ crudū à ventriculo rapiunt, neq; remanet in illo, venis ve Mesenterii, cōsonat hoc rationi? sin minus ce lebris est apud Galenū locus, vbi sic. T *Nā si quis laborib⁹ & operibus se se ad laßitudinē vsq; affligat, potet autem largè, tū in tempestiuè exercitationes subeat, hoc est aut a cibo aut vbi tardius concoquantur cibi, antequā probe sit in sanguinem versum nutrimentum, hic tum partim bilem, propter ærumnas acceruet, partim in coctos, & crudos humores ex potu, & intempestiuis exercitationibus, sunt autem morbi hi multo grauißimi. in quibus vtrisq; magna colligitur copia.* Hæc Galenus veluti describēs pauperū, seruorū, deniq; exercitatissimorū ex causis, affectus in venis quidem, in quibus sanè præmittēda, non vero post ponenda venæ sectio. T 1. epid. 2. in hystor. Silen. 19

Deniq; durissimā (ne nocentissimā dicamus) praxim existimamus illorū, qui nulla præeunte phlebotomia properāt statim, ad expurgationē, nam tametsi fuerint aliqui, qui in principio, crudaq materia purgādū scripserint, plenis venis, & sine vlla venæ sectione nullū virum recte remedium instituentē fecisse vidimus, nec vnquam facturū credimus, hāc insequens cogitationē acutus, & Doctissimus Vallesius Cobarruuianus (quē multi nō sūt assecuti) scribebat. V *Illud āte omnia præfabor (ne quis putet me sanguis mißioni maledicere) vt illas innumeras mißiones sanguinis, quæ ad quindecim, aut viginti procedunt, nūquam facio, ita nullum ferè esse morbum, cuius curationē amißio ne sanguinis non incboem, quia ea non præmißa vix vlli remedio locus est. Plenum enim corpus, neq; aliis euacuationibus præbet vias fluxiles, neq; medicamentis vllis præstat commeatum, refrigeratum densatur, calfactum inflāmatur. Nulli curatione est opportunum, vacuandum ergo* (attendite huius enim cōceptus gratia non omnino hic adducitur locus) *corpus eatenus, vt curationem reliquam sine noxa sustineat, non autem* V 4. meth. pag. 422

eatenus, vt facultas in posterum non sufficiat, aut corpus incommemoratas ante noxas incurrat, Misso verò intra modum sanguine, quam totius possit. atq; si res postulet iuxta dictas antea distinctiones adhibita purgatione, cõcoctio reliquorum. Hactenus sapientissimus vir pro sua opinione.

X A. citato pag. 383

X Qui idẽ insignissimus vir antea in sectam (quã nos modo (corrigere exoptamus) scribens, hæc nunquam obliuioni mãdanda reliquit. *Sed redeamus ad illos, quorum gratia huc diuertimus, expurgatores inquam, quibus nihil aliud in mentem subit, quam vitiosa è corpore pellere. quasi manu ageretur, neq; obstaret quippiam, non contenti sua illa minoratiua nunquã dimittenda expurgatione, quam in ipso limine curationis perpetuo moliuntur omni morbi tempore, quin & singulis diebus, si vellet ægrotus parere, singulis diebus, nulla concoctionis, neque alterius præparationis ratione habita. Nimirũ hi omniã quæ de coctione philosophati sunt veteres censent meras nugas, tantum expectant, quæ e ventre exeunt, eaq; quo sunt deteriora, eo melius cum ægroto actum putant, cum interim plurimum corpora colliquent. hi certe ferendi non sunt.* Hactenus Vallesius, vniuersalibus igitur methodis noctu, diuq; inuigilandũ, cõtra quam multi huius tẽporis medici, qui multis curationibus inhiãt, neq; vnquã de methodo agentes videas, sed practicis semper barbaris, & nõ barbaris indulgẽtes, in quos sic profundissimus Doctor Mena inuehebatur.

Y Li. de rat permiscẽ di vsitata med. c. 8. ad finem.

Y *Quo circa in ea semper fui sentẽtia, omnes scilicet methodos curatorias, quas practicas appellat vulgus medicorum, esse igne vrendas in extinguibili, hæc ille ob sua plures rationes, & nimirum, quoniam particularia in vniuersalibus continẽtur, citra quorum exactam cognitionem in numeros quotidie visendo ægros, nullus proficiet.*

LAVS DEO, optimo maximo Dei paræq; Virgini Mariæ; & Diuis Doctoribus Hieronymo, & Bernardo, & omnibus sanctis.